1

IODOCI A MEGGEN PATRICII LVCERINI PEREGRINATIO Hieroſolymitana.

De Conventu S.mae Trinitatis Monachij.

DILINGÆ
Excudebat
IOANNES MAYER.

M. D. Lxxx.

BIBL. FONSEC. ARACCELIT.

NOBILI AC STRENVO DOMINO HEINRICO A FLECKENSTEIN, EQVITI AVRATO, ET SENATORI LVCERNENSI Domino ac Socero ſuo plurimum obſeruando IODOCVS SEGESSER S. D.

CVM apud me cogitarem, quantò te amore, beneuolentiaq; ſit frater meus conſobrinus, Iodocus à Meggen proſecutus, vir ornatiſsime, quantaque ſim beneficiorum multitudine, magnitudineq;, tibi deuinctus, hanc peregrinationem Hieroſolymitanã, tibi vni potiſsimũ mittere & cõſecrare ſtatui, quæ à doctiſsimis viris non modo recognita, ſed etiã illuſtrata, typis tandem mandata eſt; ne tam breui temporis ſpacio, tanti uiri memoria obliuione deleretur. Idq; propter ſingularia illius in me merita,

me illi debere profiteor, quippe qui me à pueritia tam diligenter educandum & inſtituendum curauit, vt nihil ad ſummam illius in me beneuolentiã addiſpoſſe videatur. Quibus rebus, etſi te ad hoc opuſculum libenti animo accipiendum ſatis impelli credam, non tamen parui momenti eſſe debet, quod præfecturæ Badenſis in Ergouia, ſiue Thermipolitanæ adminiſtratio, Vvernero primum à Meggen, viro ornatiſsimo, deinde Patri tuo, tũ ipſimet Iodoco, tibi poſtremo, domeſticæ laudis non modo conſeruandæ, verumetiam augendæ maxime ſtudioſo, commiſsa ſit. Quæ omnia, etſi nulla alia cognatio mihi tecum intercederet, hac opuſculi dedicatione, digna mihi maxime viſa ſunt.

Vale & tui amantiſsimum ama.

VITA

VITA IODOCI A MEGGEN.

IODOCVS à Meggen claris parentibus ortus eſt, atque nobilibus, Patre nimirũ Vvernero à Meggen, matre vero Apollonia à Balmos; quæ cũ alios præter Iodocum filios, filiasq́; ſuſcepiſſet, nullum tamẽ è vita diſcedens ſuperſtitem reliquit: ipſa deniq́; ſtirpi ſuæ finem attulit. Hic Vvernerus iuuentutem penè totam in bello conſumpſit, militauitq́; primum in eo bello, quod geſtum eſt ab Heluetiis contra Imperatorem Maximilianum: quo ſedato meruit fere ſemper ſub regibus Galliæ, quam ob cauſam à rege Franciſco, ad Genuã, vna cum aliis ducibus (quorũ præſtans animi virtus in quodam prælio enituerat) aurei calcaris eques eſt creatus. In illis deniq́; bellis fuit, quæ religionis cauſa, inter quinq́; Pagos & Tigurinos ſunt excitata, quibus in bellis magna eſt cum laude verſatus. Hinc Vvernerus Schultetus Lucernæ fuit (qui in ea ciuitate ſupremus eſt honoris gradus, idemq́; ferme ſi-

gnificat, quod conſul. In iuuentute Iodocus litteris operam dedit, & Heinricũ Glareanum, qui tum Baſileæ (quæ nondũ à Romano Pontifice deſecerat) publice profitebatur, tres annos contubernalem habuit. Poſt miſſus à patre Aurelianum in Galliam eſt, quæ in ciuitate etiam per aliquod tempus ſtudiis, gallicæq; linguæ vacauit. Anni vero tempore, quo ſtudia intermitti ſolent, vna cum cæteris condiſcipulis religionis cauſſa in Britanniã, ad inclytũ D. Michaelis Archangeli templum profectus eſt. Ex Gallia porro diſcedens patris iuſſu Montem ferratum contendit, ibique tam diu in Marchionis ædibus eſt moratus, donec linguam Italicam probe teneret. A patre reuocatus in patriam, ex Lucernenſium auctoritate vxorem duxit patriciam, cum qua viginti ſeptem annos abſque prole vixit. Paucis poſt diebus Gubernator Badenſis in Ergouia ſiue Thermipolitanus eſt factus, quem honoris gradum Pater etiam obtinuerat, eratq; in ea ciuitate natus: quod munus cum duos annos (quibus elapſis alteri ſolet adminiſtratio committi) ſtudioſiſſime obiiſſet: magno Hieroſolymam adeundi deſiderio captus eſt ibiq; Equitis ſancti ſepulchri honore inſignitus, domum rediit. Paucis interpoſitis annis Pater diem ſuum obiit, cui in ſenatu Iodocus ſuc-

teſsit; in quo ita ſe praeclare geſsit, vt aliquando Epiſcopi Conſtantienſis rogatu à quinq; pagorum viris principibus Romam ad ſummum Pontificem Paulum tertium ſit legatus. Poſtea anno ſalutis milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octauo ab eodem Pontifice Romam ad priuatam ſui corporis cuſtodiam, cum ducentis Heluetiis eſt euocatus: poſteaquam Germanos praeſidiarios in locum interfectorũ Heluetiorum in direptione vrbis, ſuaſu Imperatoris à Clemēte ſeptimo cōductos, praedictus Paul⁹ tertius dimiſiſſet. Cui cuſtodiae ſumma cum omnium approbatione Iodocus praefuit, reliquo Pauli tertij vitae tempore, toto pontificatus Iulij tertij, Marcelli ſecundi, atq; Pauli quarti, vſq; ad diem decimum ſeptimũ Martij, Anni 1559: quo anno Lucernae cum illuc ad rem familiarem recognoſcendam eſſet profectus, è vita migrauit. Hic Iodocus arcē Baldegenſem (quae antiqua eſt nobilium illius ciuitatis habitatio atque origo) quemadmodum hodie apparet, inſtaurauit. Mediocriter erat in litteris humanioribus verſatus, delectabatur idiomatũ cognitione, nouerat linguam Graecã, Latinam, Italicam, Gallicam, Hiſpanicam, nonnihil etiã ex Hebraica, Luſitanica atq; Flandrica deguſtarat, ſepulchro tandem maiorum ſuorum Lu-

 cernae,

ternæ ante altare ab ipſis erectum illatus eſt: & prope columnam unam tumulo proximam, imago quædam pietatis eſt à me collocata, cum inciſo epigrammate ad memoriam illius retinendam, à quo me ab ineunte ætate tam diligenter educatum eſſe meminerim.

NOBI-

NOBILISSIMI VIRI DOMINI IODOCI A MEGGEN LVCERNATIS Heluetii peregrinatio, Anno ſalutis M. D. XLII.

CAPVT I.

CVM à primis tēporibus ætatis Hieroſolymę viſendæ (ꝗ non ſine cauſa terram ſanctam dicimus) mirum in modum cupidus fuiſſem, tandem eo ipſo anno, qui erat à Chriſto nato milleſimus quingẽteſimus quadrageſimus ſecundus, diuturnæ voluntati morem geſsi: Itaꝗ octauo idus Maii ę patria diſcedentem, Vraniæꝗ pernoctantem, eius loci optimates & vino more patrio donando, et magno perę præſentia ſua me honorarunt: *Vrania.*

Hinc ſummæ Alpes (quem montem ſancti Gotthardi vulgus appellat) non ſine magno periculo erant ſuperandæ, magna congerie niuium hinc inde in torrentibus velut in glaciem cōcreta, & quaſi per venas liqueſcentibus niuibus, ita vt foramina & hominibus & equis formidanda vndiq; exiſterēt: præterea niues magno ſtrepitu impetuq; de improuiſo decidebant, vt parum abfuerit, quin ſemel obrueremur. Ceterum quo iter tutius planiuſq; eſſet, non recta, ſed Mediolanum ſeſquidiei diſpendio profectus ſum, ibiq; cùm equorum defatigatorū tum aliarum rerum viſendarū gratia vno die permanſi: vbi arx eſt, fere omniū opiniōe, lōge munitiſsima, cū craſſitudine murorum ad vigintiquinq; pedes in ſummitate, vt neceſſario cū minimum duplicem habeat numerū à fundamento, tum amplis, profundis aquoſiſq; foſsis, & turribus ceteriſq; propugnaculis. Porro templum Cathedrale

thedrale marmore miris expēſis ſummoq; ingenio et arte conſtructum eſt. Ceterum Xenodochium, cùm magnis diuitiis reditibuſq;, tum ſtructura eximia idoneaq; pauperibus, mirum in modum eſt inſigne præter cætera.

Quinto itaq; die, ex quo Mediolanum perueneram, equis recta quatuor dierum & vnius noctis itinere Venetias vſque perueni; nec longe à Bergomo, ita vt eam videre poſsemus, tranſeuntes Brixiã, Veronam, Vicentiam & Patauium, oppida magnitudine, fortitudine, amœnitate, diuitiis, mœnibuſque ſplendidiſsima. Verona autem cæteris amœnitate ſitus nonnihil antecellere videtur, vt non male, verè vna dicatur totius Italiæ. Ibidem eſt theatrũ à Romanis (vt arbitror) miranda arte, inæſtimandoque ſumptu ædificatum, quod hodie dum incolæ Arenam (quamuis rationis neſcij) non ſine cauſa vocant, quod illic olim &

ludi

ludi populo exhiberi, & gladiatores in arenam deſcēdere conſueuiſſent. Cæterum ſpectatorum decem millia, mea ſententia, & vltra facile accipit: cumq; ſit ferè vnicum in ea regione Romanarum diuitiarum monumentum eximium, vulgo exiſtimatur, ob incredibilem pulchritudinē ædificijque molem arte magica confectum eſſe.

Patauium. Patauium vero mirum in modum cùm muris propugnaculiſq;, triginta quatuor pedum, tùm aqua vndique mœnia lambente veloci curſu munitum eſt, vt communi conſenſu fortiſſimum totius Italiæ oppidū breui futurum exiſtimetur: nam antiquitus nō perinde forte erat, ac nunc ſub Venetorū dominio, ſub quo indies munitius efficitur.

Academia Habet vrbs Academiam celebrem omnium fere diſciplinarum virorumq; doctorum. Decimò quinto Kal. Iunias ſcilicet die Aſcenſionis Domini ſub aurorā per aquam

(Brentam

(Brentam nuncupatam) Venetorum ad vrbem appulimus, quo die eximia præclaraque multa vidimus, & vt aliquid eorum commemorem, Dux ſenatuſque precioſiſsimo excellentiſsimoq; veſtitu à curia ſumma pulcherrimo ordine mare verſus tendebant per pontem, ſolummodo eã ob ſolemnitatem factum; nauim pulcherrimã, vndiq; fere auratam, ſericoq; precioſiſsimo coopertam ingrediebantur, cumque circa tria millia paſſuum, vndiq; ingenti ſpectatorum numero ſtipati, nauigaſſent (erat enim nauium omnis generis numerus ſanè incredibilis) cõuerſa naui Ducis, à puppi valuæ aperiebantur, vbi Dux à ſolio deaurato ſurgebat, conuerſuſq; mare benedixit, & aureo annulo iniecto velut conciliauit, atque, vt ipſi aiunt, ſponſalia contraxit. Mox reuertentes, ad ædem D. Nicolao ſacram, illi loco vicinam, appulerunt, vbi ſacrum ſolemniter

Brenta fluuius.

Venetorum pompa naualis.

ter multis cum cæremonijs peractum eſt, celebrante ipſo Venetorum Patriarcha, viro graui perfectæq; ætatis. Finito ſacro, nauim (vrbē repetituri) aſcenderunt, pranſuri vna cum Duce in palatio, ſplendido apparatu, in aula tum magna tum pulcherrima. Cæterū ſemper Patriarcha Ducem præcedebat; Ducē vero ſequebantur oratores Pontificis Maximi, Imperatoris, Regis Francorū, Ducis Ferrariæ, & cæteri. Aderat & Turcarum orator magna pompa ſatellitioq;, cæterū à ſplendidiſsimo illo cętu, ob diuerſam fidem religionemq;, aberat. Deinde ſequebantur Senatores Veneti magno numero, proceris corporibus, veſtitu ſplendido, venerabilis ætatis, mira grauitate, vt non indigni tanto maris terræque imperio viderentur. Poſsident enim oppida ſuperius dicta, & multa alia in continēti, cæterum mari longe plus pollent. Itaq; noſtra ætate
nulla

nulla eſt Reſpublica, quæ Venetos æquare poſsit, ne dum ſuperare: more enim Romanorum non abſimili Reſpublica eorum ac legibus gubernari videtur. Nam, quamuis Ducem habeant, nomine tamen magis quam re princeps eſſe videtur, cum non niſi duo ſuffragia in communi ſenatu habeat: nec literas ad Rempublicam Venetam miſſas, niſi in præſentia duorũ aut trium, reſignare legereq́ audeat, aut ferè quicquam magni momẽti ſolus ſine concilio gerere: quod ſi quid delinquat, animaduertitur in caput illius ad necem vſque, quemadmodum in cæteros ſenatores, cuius rei indicia monumentaq́ videres prope ingreſſum curiæ, vbi columnæ marmoreæ pulchro opere inciſę, quibus ſuper iniecta trabe ſi Dux deliquerit ſuſpendio pœnam luit, vel honoris cauſa obtruncatur. Simili modo in porticu ſuperiori duæ aliæ colore rubro à cæteris

ris differentes, vbi ſenatores legibus
Venetia. pœnas ſoluunt. Cæterum vrbs Vene-
ta vndique mari cincta eſt: itaque non
niſi ab vna parte magnæ rates eò ve-
nire ſolent, vbi duæ arces fortiſsimæ
ab vtroq; latere, è regione oppoſitæ,
quæ inimicos ingreſſu arceãt: Patauiũ
verſus terra continens non amplius
quinque millibus paſſuũ diſtat. Ipſam
vero vrbẽ mare vndequaq; interluit,
vt fere tot maritima, quot terreſtria iti-
nera ſint, ac maritima longiora: nam
plateæ ſunt minus amplæ; quod om-
nia onera non carris aut equis, ſed na-
uibus commodis vehuntur. Itaque e-
quorum (quia nullus eorum vſus)
magna penuria, nauium contra maxi-
ma copia eſt, vt paucæ domus illis ca-
reant. Porro cum ſit marino illo ſitu,
vt dixi, natura munitum, mœnibus
cæteriſq; propugnaculis omnino ca-
ret: cęteris vero cum publicis, tum pri-
uatis ædificiis ita ornatur eminetq;, vt
vix

vix quiſquam credat, niſi qui conſpexerit. Præter cætera autem templum ſancti Marci, miranda ſtructura, ingentique ſumptu ac pictura aurea decoratum, ædificatumque eſt, cui curia haud quaquam cedit, quin ſuperior longè futura, cum ad perfectum deducta erit. Locum præterea habet à latere oppidi, quem vulgò Arſenal vocant, latine Armamentarium, ſatis amplę magnitudinis, in quo cum omnia genera nauium continenter fabricantur tum omnia armorum genera tam pedeſtris militiæ quã maritimæ, nec non bombardæ, cæteraq; bellorum & pacis ſupellectilia reponuntur: tria enim illic hominum ferè millia in quotidiano opere occupantur. Sunt autem arma ibi, quibus facile vigintiquinque millia hominum ad bellum armantur, quemadmodum accepi, & res ipſa cõſpicienti declarat. Super omnia magnam vim bombardarum, & quaſi innumeram multitudinem diuerſis in locis aſſeruatim poſitam vidimus, vt

noſtro omnium iudicio nullus Chri-
ſtianorum princeps tot noſtra ætate
poſsideat, ſed vt vere dictum eſt, orbe
ſub hoc nihil eſt ex omni parte beatũ:
Nec cuiquam ſemper ſors ſatis æqua
fauet. Sic videmus fortunam a ſplen-
didiſsimo Venetorum dominio habe-
nas aliquantulum retraxiſſe, quod ea
quæ poſsident, ampla quidem, ſed hu-
mili conditione, & fere turpi, Turca-
rum Imperatori tributũ reddunt du-
catorum viginti millium
placet, duodecim mill
gnum. Quar

I.

M cum adhuc
grini expectaren-
adeſſent, neceſ-
ſarioq;

ſarioque nobis ad feſtum ſacræ Eu-
chariſtiæ ſaltem expectandum foret,
quod peregrinorum naues nequaquã
citius ſoluere cõſueuerint, peregrinis
inferioris Germanię Galliæque Lau-
retum adeuntibus me coniunxi. Itaq;
octo numero 14. Kalen. Iun. ſcilicet,
poſtridie Aſcenſionis, ab vrbe Ve-
neta ſoluimus, ac ſub meridiem ad
foſſam Claudiam, locum perquam a-
m [illegible] tiſq; am [illegible] appulimus.
[illegible] netijs [illegible] ll. paſ. domi-
[illegible] inſul [illegible] tinenti par-
[illegible] re c [illegible] vt lacus po-
[illegible] ma [illegible] atur, & naui-
[illegible] ab [illegible] ſemper, et nõ-
[illegible] n [illegible] erra ſit propin-
[illegible] ecundiorem ex-
[illegible] itimus; poſtero
[illegible] tum quendã vul-
[illegible] n, 30. mill. paſ. iti-
[illegible] i pernoctantes, 12.
[illegible] s ad alterum portum
[illegible] uium flumen, à priori
[illegible] millibus diſtantẽ, præ-

 terna-

ternauigantes Rauennã maritimam ditionis pontificiæ. Eo loci hæſimus ob ventos & pluuias noctes duas & diẽ vnũ, nec vero victus commodior, vt quibus nihil præter panem & vinũ ad manum erat. Decimo ergo Kalend. Iun. Ariminum appulimus, oppidum ſatis amplum amænumq́ꝫ, etiam iuris pontificij, triginta inde millibus paſſuum. Nono Kalend. Iun. prætereuntibus ſe oſtendit Piſaurum oppidum pulcherrimum, ditiſsimumq́ꝫ, Ducis Vrbini: neque inde Vrbinum longius abeſt vigintiquinq́ꝫ millibus paſsuũ. Deinde Fanum, Pontificis oppidum, ab hoc quinque millibus paſſuũ. Poſt hoc Senogalliam, Ducis Vrbini, quindecim millibus paſſuũ, tandemq́ꝫ eo die vento ſecundo Anconam adnauigamus, alijs viginti millibus paſſuũ curſu emenſis. Portus ibi eſt cum ſplendidus, tum totius Italiæ fortiſsimus. Illic (vt moris eſt fere vbique in Italia, præſertim autem in locis maritimis) cum venia accepta à magiſtratu, ſolutaque
pecunia,

pecunia, recta in palatium ad Vrbis Gubernatorem veniſsemus, interrogabamur quales eſſemus, quorſumq; tenderemus &c. Tandem dimiſsi ad hoſpitium contendimus: qua tamen examinatione non contentus Vrbis Rector, ſtatim à cœna nos denuo requirit, & iterum ſingulos exactius examinat: me autem, præter cæteros, neſcio ob quam veſtitus barbæque ſuſpicionem, maximè vero quod diuerſis loquebar linguis, exactiſsime interrogabat, examinabatque, inquiens, ſe præmonitum paulo antè, Gallum ſiue Francum quendam, mihi vndequaq; ſimilē, quoddam facinus Anconæ perpetraturum, niſi ſummo ſtudio occurratur, meq; hunc ipſum eſſe omnia indicia, vt aiebat, demonſtrabant. itaq; rem eſſe vlterius perſcrutandam, ita vt & carcerem tormentaq; cætera ſatis aperte minaretur: & quamuis ego conſtanter falſam eſſe ſuſpicionē metūq; affirmarem, remq; omnem & inſtituta tam ſingula mea, quam ſociorum dili-

genter aperirem; quorum nonnullos ante me examinauerat; haud tamen obtinui, quin omnem veſtitum meũ, corporis habitum, vultus qualitatem, patriam, itineris propoſitum, & cætera omnia, quæ à me diu ac multũ perquiſiuerant, propria manu diligenter perſcriberet, et obſignata ad Cardinalem mitteret, qui Pontificis Maximi loco ciuitatem gubernabat, opinionẽ eius ſententiamq; opperiẽs, mihi quoque imperaret tantiſp demorari donec nuntius reuerteretur, nõ ſine carceris minis cuius iam interloquendo fiebat mentio. Tandem cum nuntius reuertiſſet, vix in hoſpitium dimittimur, vt non omnino abſq; curis eam noctem ageremus. Hanc ſuſpicionem fortaſſis auxerat portus quidã fortiſsimus, nomine Marran, nuper dolo à Regis Francorum militibus occupatus interceptuſq;, cum olim Ferdinandi fuiſſet Regis Romanorum. Ita 8. Kalen. Iun. terreſtri itinere ad Diuam virginem & matrem Lauretum, itinere. 15000.
passuum

paſſuū peruenimus. Locus ſanè amœnus, in colle ſitus, quē & à quindecim annis mœnibus ſeptū, vt à pyratis maritimis tutior eſſet, ac munitum accepimus. Eſt quidem templū et magnū ſatis, & elegans, quod innumeræ vndique tabellæ ornant, miraculorum à B. Virgine patratorum teſtes. Cæterum in medio ſacellū eſt, in quo Diua Maria, altiſsimi mater, nata educataq; eſſe fertur, mirabiliq; myſterio Verbum illud diuinum patriq; coæternum Angelo Gabriele nunciante carnem humanā ſuſcepit. Quod ſacellum (quemadmodum hiſtoria ibidem ſcripta affixaq; indicabat) tertio locum peregrinatione tranſmarina mutauerat, & cum nuſquam dignus illi haberetur honos, tandem in eo loco conſedit, qui marmoreo opere eleganter & ingenioſe ſculpto, vndique circundatus eſt. Ibi & auri argentique magna vis, calices arte cælati, aliaque eccleſiæ ornamenta. Accedit collegium Canonicorum, laudes figurato plerunque

cantū pſallentium. Ipſis in foribus carmen hoc erat.

Iſta ſalutantis voces & verba miniſtri
Audiit, & primos accepit cella volatus,
Cella choris ſuperum luſtrata, & cognita cœlo.

Septimo Kalen. Iun. Anconam itinere marino reuerſi ſumus, quo in itinere bubalos inſtar boum arantes paſcenteſque conſpeximus. Eſt id genus forma non admodum bobus diſsimile, niger color, cornua retorta, et depreſſa, trux aſpectus, miraq; oris feritas, annulo nares defoſſæ, ita reguntur & aguntur. Vidimus et ſacellum imaginis Crucifixi, multis etiam miraculis nobile. 6. Kalend: Iun: iterum naue conſcenſa Piſaurū appulimus, poſtero die quod Pentecoſtes eſſet, re diuina, ſacraq; concione à minorita quodam viro docto audita, veſpertinis etiam precibus interfuimus: ſub cœnā ſoluimus, Ariminumque deuenimus, vbi oues conſpeximus quatuor cornibus diuaricantibus, caudis latis carnoſis, nodoſis, penduliſque. 4. Kalen. Iun.

Bubalorum deſcriptio.

Sacellum imaginis crucifixi.

Ouium quarundam forma.

Iun. portum Ceſenaticum ſubiuimus. *Ceſena.*
Hinc ad vrbem contendimus Ceruiā à litore marino circiter 4000. paſſuū: *Ceruia.*
Inde iterum ad portum Sauium nos recepimus, vbi primum magnam inediam paſsi, vitæ etiam periculum adiuimus: niſi enim eo die ſoluiſſemus, in Turcarum manus incidebamus, qui poſtridie quam diſceſsimus, duobus nauigijs prædæ cauſa Lauretū verſus eo appulerunt, cumque locorū ignari, in arenam littori portuiq; vicinam inpegiſſent, à Rauēnatibus viſi ſunt. Captum nauigium vnum, alterum ægre fuga elapſum, captiuos vehebat ad triginta, quorum maior pars Chriſtiani erant, quibus dominorum infortunium, vt aſſolet, ſaluti fuit, ſic enim à miſerrima ſeruitute ſunt liberati. Cæterum cum illic pernoctaremus, noctis crepuſculo eminus duæ prægrandes naues nō ſine timore noſtro, præſertim nautarum, ſe oſtendunt, quæ cito prætereuntes nos metu liberauere, ſic cum imus & redimus formidoloſus nobis is portus fuit. Ter-

ris differentes, vbi ſenatores legibus pœnas ſoluunt. Cæterum vrbs Venetia vndique mari cincta eſt: itaque non niſi ab vna parte magnæ rates eò venire ſolent, vbi duæ arces fortiſsimæ ab vtroq; latere, è regione oppoſitæ, quæ inimicos ingreſſu arceãt: Patauiũ verſus terra continens non amplius quinque millibus paſſuũ diſtat. Ipſam vero vrbẽ mare vndequaq; interluit, vt fere tot maritima, quot terreſtria itinera ſint, ac maritima longiora: nam plateæ ſunt minus amplæ; quod omnia onera non carris aut equis, ſed nauibus commodis vehuntur. Itaque equorum (quia nullus eorum vſus) magna penuria, nauium contra maxima copia eſt, vt paucæ domus illis careant. Porro cum ſit marino illo ſitu, vt dixi, natura munitum, mœnibus cæteriſq; propugnaculis omnino caret: cęteris vero cum publicis, tum priuatis ædificiis ita ornatur emineto;, vt vix

Venetia.

vix quiſquam credat, niſi qui conſpexerit. Præter cætera autem templum ſancti Marci, miranda ſtructura, ingentique ſumptu ac pictura aurea decoratum, ædificatumque eſt, cui curia haud quaquam cedit, quin ſuperior longè futura, cum ad perfectum deducta erit. Locum præterea habet à latere oppidi, quem vulgò Arſenal vocant, latine Armamentarium, ſatis amplę magnitudinis, in quo cum omnia genera nauium continenter fabricantur tum omnia armorum genera tam pedeſtris militiæ quã maritimæ, nec non bombardæ, cæteraq́ bellorum & pacis ſupellectilia reponuntur: tria enim illic hominum ferè millia in quotidiano opere occupantur. Sunt autem arma ibi, quibus facile vigintiquinque millia hominum ad bellum armantur, quemadmodum accepi, & res ipſa cõſpicienti declarat. Super omnia magnam vim bombardarum, & quaſi innumeram multitudinem diuerſis in locis aſſeruatim poſitam vidimus, vt

noſtro omnium iudicio nullus Chriſtianorùm princeps tot noſtra ætate poſsideat, ſed vt vere dictum eſt, orbe ſub hoc nihil eſt ex omni parte beatū: Nec cuiquam ſemper ſors ſatis æqua fauet. Sic videmus fortunam a ſplendidiſsimo Venetorum dominio habenas aliquantulum retraxiſſe, quod ea quæ poſsident, ampla quidem, ſed humili conditione, & fere turpi, Turcarum Imperatori tributū reddunt ducatorum viginti millium, aut, vt alijs placet, duodecim millium, ob Cypri regnum. Quare etſi Turcàm non ſuperiorem, tamen fortiorem haud dubie fatentur, ſicque per illum in pace degunt, vt ſemper tamen ſint de bello dubij. Hæc de Venetis dixiſſe ſat erit.

CAPVT. II.

CÆTERVM cum adhuc multi peregrini expectarentur, & pauci adeſsent, neceſſarioq́;

ſarioque nobis ad feſtum ſacræ Euchariſtiæ ſaltem expectandum foret, quod peregrinorum naues nequaquã citius ſoluere cõſueuerint, peregrinis inferioris Germaniȩ Galliæque Lauretum adeuntibus me coniunxi. Itaq; octo numero 14. Kalen. Iun. ſcilicet, poſtridie Aſcenſionis, ab vrbe Veneta ſoluimus, ac ſub meridiem ad foſsam Claudiam, locum perquam amænum ſatiſq; amplum appulimus. Abeſt à Venetijs 25. mill. paſ. dominij Veneti inſula, eſt ea cõtinenti parte aliqua fere coniuncta, vt lacus potius quam mare eſſe videatur, & nauigantibus ab vno latere ſemper, et nõnunquam ab vtroq; terra ſit propinqua. Eo die ventum ſecundiorem expectantes illic ſubſtitimus: poſtero die venimus in portum quendã vulgo La Baia dictum, 30. mill. paſ. itinere. Hic in naui pernoctantes, 12. Kal. Iun. venimus ad alterum portum deſertum, ad Sauium flumen, à priori octo paſſuum millibus diſtantẽ, præ-

ternauigantes Rauennã maritimam ditionis pontificiæ. Eo loci hæſimus ob ventos & pluuias noctes duas & diẽ vnũ, nec vero victus commodior, vt quibus nihil præter panem & vinũ ad manum erat. Decimo ergo Kalend. Iun. Ariminum appulimus, oppidum ſatis amplum amænumq́ꝫ, etiam iuris pontificij, triginta inde millibus paſſuum. Nono Kalend. Iun. prætereuntibus ſe oſtendit Piſaurum oppidum pulcherrimum, ditiſsimumq́ꝫ, Ducis Vrbini: neque inde Vrbinum longius abeſt vigintiquinq́ꝫ millibus paſsuũ. Deinde Fanum, Pontificis oppidum, ab hoc quinque millibus paſſuũ. Poſt hoc Senogalliam, Ducis Vrbini, quindecim millibus paſſuũ, tandemq́ꝫ eo die vento ſecundo Anconam adnauigamus, alijs viginti millibus paſſuũ curſu emenſis. Portus ibi eſt cum ſplendidus, tum totius Italiæ fortiſsimus. Illic (vt moris eſt fere vbique in Italia, præſertim autem in locis maritimis) cum venia accepta à magiſtratu, ſolutaque
pecunia,

pecunia, recta in palatium ad Vrbis Gubernatorem veniſsemus, interrogabamur quales eſſemus, quorſumq; tenderemus &c. Tandem dimiſsi ad hoſpitium contendimus: qua tamen examinatione non contentus Vrbis Rector, ſtatim à cœna nos denuo requirit, & iterum ſingulos exactius examinat: me autem, præter cæteros, neſcio ob quam veſtitus barbæque ſuſpicionem, maximè vero quod diuerſis loquebar linguis, exactiſsime interrogabat, examinabatque, inquiens, ſe præmonitum paulo antè, Gallum ſiue Francum quendam, mihi vndequaq; ſimilē, quoddam facinus Anconæ perpetraturum, niſi ſummo ſtudio occurratur, meq; hunc ipſum eſſe omnia indicia, vt aiebat, demonſtrabant. itaq; rem eſſe vlterius perſcrutandam, ita vt & carcerem tormentaq; cætera ſatis aperte minaretur: & quamuis ego conſtanter falſam eſſe ſuſpicionē metūq; affirmarem, remq; omnem & inſtituta tam ſingula mea, quam ſociorum dili-

genter aperirem, quorum nonnullos ante me examinauerat, haud tamen obtinui, quin omnem veſtitum meũ, corporis habitum, vultus qualitatem, patriam, itineris propoſitum, & cætera omnia, quæ à me diu ac multũ perquiſiuerant, propria manu diligenter perſcriberet, et obſignata ad Cardinalem mitteret, qui Pontificis Maximi loco ciuitatem gubernabat, opinionẽ eius ſententiamq́; opperiẽs, mihi quoque imperaret tantiſpe demorari donec nuntius reuerteretur, nõ ſine carceris minis cuius iam interloquendo fiebat mentio. Tandem cum nuntius reuertiſſet, vix in hoſpitium dimittimur, vt non omnino abſq; curis eam noctem ageremus. Hanc ſuſpicionem fortaſſis auxerat portus quidã fortiſsimus, nomine Marran, nuper dolo à Regis Francorum militibus occupatus interceptuſq;, cum olim Ferdinandi fuiſſet Regis Romanorum. Ita 8. Kalen. Iun. terreſtri itinere ad Diuam virginem & matrem Lauretum, itinere. 15000. paſſuum

paſſuū peruenimus. Locus ſanè amænus, in colle ſitus, quē & à quindecim annis mœnibus ſeptū, vt à pyratis maritimis tutior eſſet, ac munitum accepimus. Eſt quidem templū et magnū ſatis, & elegans, quod innumeræ vndique tabellæ ornant, miraculorum à B. Virgine patratorum teſtes. Cæterum in medio ſacellū eſt, in quo Diua Maria, altiſsimi mater, nata educataq; eſſe fertur, mirabiliq; myſterio Verbum illud diuinum patriq; coæternum Angelo Gabriele nunciante carnem humanā ſuſcepit. Quod ſacellum (quemadmodum hiſtoria ibidem ſcripta affixaq; indicabat) tertio locum peregrinatione tranſmarina mutauerat, & cum nuſquam dignus illi haberetur honos, tandem in eo loco conſedit, qui marmoreo opere eleganter & ingenioſe ſculpto, vndique circundatus eſt. Ibi & auri argentique magna vis, calices arte cælati, aliaque eccleſiæ ornamenta. Accedit collegium Canonicorum, laudes figurato plerunque

cantu pſallentium. Ipſis in foribus carmen hoc erat.

Iſta ſalutantis voces & verba miniſtri
Audiit, & primos accepit cella volatus,
Cella choris ſuperum luſtrata, & cognita cælo.

Bubalorum deſcriptio. Septimo Kalen. Iun. Anconam itinere marino reuerſi ſumus, quo in itinere bubalos inſtar boum arantes paſcenteſque conſpeximus. Eſt id genus forma non admodum bobus diſsimile, niger color, cornua retorta, et depreſſa, trux aſpectus, miraq; oris feritas, annulo nares defoſſæ, ita reguntur *Sacellum imaginis crucifixi.* & aguntur. Vidimus et ſacellum imaginis Crucifixi, multis etiam miraculis nobile. 6. Kalend: Iun: iterum naue conſcenſa Piſaurũ appulimus, poſtero die quod Pentecoſtes eſſet, re diuina, ſacraq; concione à minorita quodam viro docto audita, veſpertinis etiam precibus interfuimus: ſub cœnã *Ouium quarundam forma.* ſoluimus, Ariminumque deuenimus, vbi oues conſpeximus quatuor cornibus diuaricantibus, caudis latis carnoſis, nodoſis, penduliſque. 4. Kalen. Iun.

Iun. portum Ceſenaticum ſubiuimus. Hinc ad vrbem contendimus Ceruiā à litore marino circiter 4000. paſſuū: Inde iterum ad portum Sauium nos recepimus, vbi primum magnam inediam paſsi, vitæ etiam periculum adiuimus: niſi enim eo die ſoluiſſemus, in Turcarum manus incidebamus, qui poſtridie quam diſceſsimus, duobus nauigijs prædæ cauſa Lauretū verſus eo appulerunt, cumque locorū ignari, in arenam littori portuiꝗ vicinam impegiſſent, à Rauēnatibus viſi ſunt. Captum nauigium vnum, alterum ægre fuga elapſum, captiuos vehebat ad triginta, quorum maior pars Chriſtiani erant, quibus dominorum infortunium, vt aſſolet, ſaluti fuit, ſic enim à miſerrima ſeruitute ſunt liberati. Cæterum cum illic pernoctaremus, noctis crepuſculo eminus duæ prægrandes naues nō ſine timore noſtro, præſertim nautarum, ſe oſtendunt, quæ cito prætereuntes nos metu liberauere, ſic cum imus & redimus formidoloſus nobis is portus fuit. Ter-

Ceſena.

Ceruia.

Foſſa Claudia. Tertio autem Kalen. Iun. ſecundo vento foſſam Claudiam venimus itinere. 11000. paſs. Non longe hinc, inter Rauennam quippe & foſſam claudiã, Padus fluuius, totius Italiæ maximus, tribus oſtijs ſinum Hadriaticum influit. *Padus fluuius.* Pridie demum Kalend. Iunias finita peregrinatione Lauretana, Venetias reuertimus. Illic cum aliquot dies quaſi otioſi deſideremus, quod pauci admodũ peregrini, contra quã aſſueuerat, adeſſent, ijque diſcordes, tandem ſexdecim cõuenimus, & cum nauclero de viatico, naulo, tributoq; omni præſertim in terra ſancta pendendo paciſcentes, quadraginta octo Coronatos viritim polliciti ſumus. Quæ pacta, quoniam eo ituris vſui eſſe poſſunt, nõ piguit hic inſerere.

SE-

SEQVITVR CONTRACTVS

CAPVT III.

Formula cõtractus peregrinorum cũ Nauclero.

IN Chriſti nomine amen, nec non Patris & Spiritus ſancti, ſanctiſsimæ & indiuiduæ Trinitatis, atq; beatiſsimæ ac glorioſiſsimæ virginis Mariæ, totiuſq; curiæ cœleſtis, infraſcriptæ partes deuenerunt ad infraſcripta pacta, accommodantes & concedentes nauem, vocatam ſanctam Mariam, pro itinere Hieroſolymitano, anno præſenti, videlicet Domin⁹ Lucas de Segna patronus dictæ nauis, præſentibus eius participibus, videlicet viro nobili domino Zacharia Bernardo clariſsimi Domini Franciſci filio, & Domino Ioan. Gerardo quondam D. Blaſii filio nomine ſuo & eius fratrum ex vna parte, & infraſcripti Dñi peregrini nominati in fine infraſcriptorum capitulorum; qui patronus & participes promittunt

mittunt obſeruare, & obſeruari facere omnia & ſingula ſubſcripta, videlicet.

Primo promittunt dare ipſis dominis peregrinis dictam ſuam nauim bene apparatam & integram cum ſuis ſufficientibus fundis, cumque omnis generis funibus, & cum armis, bombardiſque, quæ diſcedere debeat ex hac ciuitate Venetiarũ et portu in nomine Dei omnipotentis per totam diem decimã octauã menſis Iun. M D XLII. ſaluo impedimento tempeſtatis & ventorum contrariorũ, & ire Iaffum verſus, et ſi fieri poſsit inter nauigandum accedere portus infraſcriptos, ſcilicet Vallonam, Corcyram, Zacynthum, Cretam, et Cyprum: & quando applicuerit dicta nauis Iaffum, promittit dictus patronus ibi manere, morarique cũ dicta naui, quoad dicti domini peregrini iuerint ad ſuas deuotiones, & expectare ipſos dominos peregrinos quouſque redierint à dictis eorum deuotionibus, idque hac lege, vt non liceat ipſis Nauclero & ſocijs morari in dictis

Iaffum ſiue Ioppe. [illegible] qui aſcendit, & [illegible] diu in [illegible] hærendũ

ctis portubus pluſquam triduum, non intelligendo dies applicationis, neq; dies egreſsionis, & vt in reditu tangãt Cyprum, & Cretam, Zacynthum, & Corcyram, et recta tendant Venetias verſus, et in Cypro poſsint morari 13. diebus mercíũ onerandarũ gratia, & in cæteris portubus non niſi per triduum, non intelligendo dies applicationis & dies receſsionis. Item promittit dictus patronus deſcendere in terram Iaffum, & conducere dictos peregrinos ad ſanctum ſepulchrum, & ad flumen Iordanem & Vallem Hebron, cum hac tamẽ conditione, quod ſi reuerẽdus Pater Guardianus ſancti ſepulchri non conſuleret aut nollet, quod dicti domini peregrini irent ad dictam vallem Hebron, quod dictus patronus ire non teneatur, ſed teneatur ire cum ipſis dominis peregrinis ad alia loca ſolita et conſueta, & teneatur ac obligatus ſit dictus patrõus ſoluere expenſas tributorum & ſancti ſepulcri, & alias expenſas neceſſarias, tam

In terra ſancta quid à Nau lero praſtandum.

tam eundo quam redeundo, & aſellos pro ferendis eorum perſonis, exceptis corteſiis paruis, id eſt, paruis donis, ſiue munuſculis, quæ ipſi domini peregrini ſoluere tenentur.

Ratio, victus. Item promittit Dominus Patronus facere expenſas victus ipſis dominis peregrinis in naui honorifice, tam eũdo quã redeundo, videlicet mane pro ientaculo cyathum boni vini Cretici (vulgo maluaſiæ) & panem paruum bis coctum vnicuiq;, & poſtea bis ſingulis diebus, videlicet ad prandium et cœnam, dando eis diebus quibus comedũtur carnes, carnes, et diebus quibus comeduntur piſces, piſces, dando eis carnes & piſces recentes pro vt in dies haberi poterunt, & in caſu neceſſitatis dare eis bonos piſces ſalitos, & bonas carnes ſalitas, & ita tractabuntur quemadmodũ ipſe patronus, dando ipſis dominis peregrinis ad prandium & cœnam bonum vinum album et nigrum, & teneatur ipſe patronus prouidere vt in naui ſit aqua dulcis in

ſingulis

ſingulis portubus accipienda, quam ipſis dominis peregrinis ad eorum libitum prębeat.

Item promittit dictus patronus recedere cum dicta eius naui ex hac ciuitate & portu per totam diem decimam octauam præſentis menſis Iunij, vt ſuperius dictũ eſt, et in caſu quo non recederet in dicto termino, ſaluo impedimento, ſuperius declarato, teneatur facere expenſas victus ipſis dominis peregrinis quemadmodum ipſi pereregrini nunc in ſuis hoſpitijs viuere conſueuerunt.

De caſu mortis alicuius peregrinorum.

Item ſi eueniret (quod Deus auertat) aliquem obire antequam nauim aſcenderet, in hac ciuitate Venetiarũ, ſint obligati participes & patronus reſtituere omnia quæ ab illo recepiſſent peregrino viuente, & ſimiliter intelligatur, ſi aliquis eſſet ęgrotus, vt ad dictam peregrinationem nõ eſſet idoneus. Verum ſi aliquis in itinere obierit, antequam nauis appulerit Iaffum, in quocunq; loco, patronus teneatur

reſtituere mediam partẽnauli, pro illo tali defuncto; ſed ſi aliquis obiret poſt viſitationẽ ſancti ſepulchri patronus lucretur omne naulum, nec teneatur reſtituere quicquam, ſed de rebus pecunijſque, quæ penes mortuum reperientur, patronus obligetur habere bonam cuſtodiam, eaq; dare illis quibus peregrinus defunctus dum adhuc ſuperſtes eſſet ordinauerit, ſiue officiarijs cadaueris danda curabit, ad quos iure ſpectant.

Item promittunt dicti participes & patronus dare bonam & idoneam fide iuſsionem dominis peregrinis ad obſeruanda omnia & ſingula ſupraſcripta, contenta in ſupra ſcriptis capitulis, & quolibet eorum.

Ex aduerſo autem prædicti domini peregrini promittunt & ſe obligant in præſentia in hac ciuitate Venetiarum, antequã aſcendant nauim, dare & ſoluere ipſis dominis participibus coronatos quadraginta octo aureos ad rationem librarum ſex, ſolidorum ſex decim

decim pro ſingulis coronatis, & hoc pro ſingulis peregrinis: & dicti participes promittunt vltra omnia ſupra ſcripta facere ipſis dominis peregrinis bonam ſocietatem.

NOMINA DOMINOnorum Peregrinorum.

D. Ioannes de Meryta Louanianus Minorita.

D. Antonius de Baenſt Gandenſis Flander.

D. Carolus de Petroſis Gallus Auernus.

D. Alexander Zoete, alias dulcis Gandenſis Flander.

D. Antonius niger Canonicus Meldenſis Gallus.

D. Ioannes de Lamboc Brabantus Traiectenſis.

D. Robertus della ruë Meldenſis Gallus.

D. Gerardus de Billouuez ex Niuella Flander.

D. Franciſcus de Trupiunis de Perona, Romæ habitans.

D. Iacobus Pabo Lemouicenſis Gallus.

D. Iodocus de Meggen Lucernas Heluetius.

D. Simeon Inuelener, Antuerpienſis Brabantus.

D. Guilielmus Prendhome, Cameracenſis.

D. Oſte de Vuale Gandenſis Flander.

D. Vedaſt

D. Vedaſtus de Bouts de Caruinio
Arteſienſis.
D. Liuinus Scaper.
D. Iacobus Balduinus de Herzerre
Flander.

Die V. Iunij. M. D. xxxxij.

D. Lucas de Segna, quondam Blaſij filius, Patronus nauis ſupraſcriptæ, vocatæ S. Maria, ex vna, & infraſcripti Domini peregrini ex alia parte, qui hæc fieri rogarunt, præſentibus D. Michaële Bruſtenſi Flandro, interprete ordinario ipſorum dominorum peregrinorum, & D. Gulielmo de Monte D. Ioannis, teſtibus ad hæc habitis, vocatis, & rogatis.

Ego Gaſpar Anani, Domini Melchioris filius, notarius officij dominorum de Cathauere, omnibus & ſingulis ſupraſcriptis cōfectis in officijs dominorum de Cathauere affui, eaq;

rogatus ſcribere ſcripſi, & in hanc formam publicam & conſuetam redegi, & Sigillo ſancti Marci officij prædicti communiui, hoc inter ipſas partes declarando, quod ſi per tempeſtatem, ſiue quacunque alia occaſione, aut quouis modo peruenient cum dicta naui in aliquem portum vel locum vbi nõ inueniretur victus, tunc & dicto caſu dictus patronus teneatur & obligatus ſit facere expenſas victus ipſis dominis peregrinis; vlterius dictus patronus teneatur & debeat ſecum ducere & reducere medicum Chirurgũ cũ ſuis medicinis neceſſariis & opportunis in naui.

Item quod dictus patronus nõ debeat occupare loca & ſpacia ipſorum dominorum peregrinorum, neque mercibus neque alio modo.

Ego idem Gaſpar qui ſupra fidem facio, qualiter dicti domini peregrini poſſunt cogi facere patronum præfatum in quocunque loco pro obſeruatione omnium capitulorum ſupraſcriptorum & ſingulorum. Finis. Hæc

Hæc capitula, vt in inſtrumēto originali erant, de verbo ad verbum ferè tranſcripſi, inerant enim quędam verba, quæ non niſi ab italici ſermonis gnaris intelligi poterant, ideoque neceſſario mutanda erant.

Cæterum in his capitulis aliqua deſiderari videntur, quæ in aliorum peregrinationibus me legiſſe memini, nam pecuniæ nō niſi media pars Venetiis erat ſoluenda, reliqua pars ad Ioppen, item excipiendum, vt ſi aliquibus cordi eſſet montem Sinai inuiſere, ex quo non eadem in naui reuerterentur, tunc patronus cum minimū tertiam pecuniæ partem illis reſtitueret, præterea interpres Turcarū idiomatis gnarus ſtipulandus erat: tum nauis noſtra, quamuis fortis nouaq; eſſet, tamen ſolito erat ſtrictior, minorq;.

Hæc & fortaſsis alia, quę in præſentia non occurrunt, cum Nauclero ſtipulanda erant, cæterum nos (quoniam abitus noſter maturandus erat, quo

minus circa hyemem redeuntibus nauigandum eſſet) omnia ſatis tumultuariè egimus. Hæc admonuimus, vt noſtro periculo cæteri ſapiant.

Pompa ſolēnis in feſto Corpo. Chriſti.

Sexto idus Iunij, cum Euchariſtiæ ſacroſanctæ ſolemnitas magnificè celebraretur, Duce aureo veſtitu præſente, omnibuſque ſenatoribus, peracta re diuina proceſsio ſiue ſupplicatio, pulcherrimo ordine, ornatuque ſumptuoſiſsimo præceſsit. Ducem ſequebantur Oratores ſuperius nominati, deinde ſinguli ſenatores precioſo veſtitu ſingulos peregrinos honorificè comitabantur, vt honoris cauſa à dextris incederemus, inſuper dono datæ ſingulis candelæ albæ cæreæ ardentes, quo Senatoribus illas geſtantibus ſimiles eſſemus. Certè honor maximus ea ſupplicatione peregrinis vniuerſis exhibitus.

Cæterum cum Venetiis ocioſi eſ-

ſemus

ſemus quòd diem abitus noſtri præſtolabamur, interea noſtrum aliquot 4. idus Iunij Patauium petiuimus, itinere 24. mill. paſſ. poſtero itaque die Thermas ad quintum milliarium inuiſimus, ſcaturiunt eæ & oriuntur è ſummo colliculo, fonte vbere, limpido & bulliente. Sed quoniam Itali non niſi aliqua ex parte egrotantes his vti conſueuere, ideo ſeptem tantum balnea, nec quidem ſatis inſtructa extant, vt quod exuberat aquæ in vſum molæ vicinæ deriuetur. Eodem die, cum aliquot mulieres animi recreandi Thermaſque videndi gratia, curribus de more aduectæ eſſent, vna dum incauti᷒ ſingula perluſtrat, collapſo pede in fontem feruētem incidit: & quamuis cum proprio niſu, tum comitum auxilio erepta ſtatim emerſit, tamen ſatis male accepta, vt dubium foret, an reualitura vnquam eſſet.

Thermæ calidæ prope Patauium.

Huc confluunt qui aliqua corporis parte laborantes, conſilio medicorum aquam velut per ſtillicidium ſiue gutturnium guttatim decidentem in partes affectas ad preſcriptũ tempus recipiant: præſertim quibus caput humidius, flegmatisq; obnoxiũ eſt: ij ſupini guttam decidentem ſumma fronte recipiunt horas duas, vnam ſcilicet matutinam, alteram veſpertinam: ipſo initio & fine moderatius ſumunt. Quippe hac aqua calida ſuperflui humores vt præſenti medicamento deſiccantur. Pridie idus Iunij ad pagum vocabulo Cuſtodiã profecti 14. mill. paſſ. ſpecum admirandam ſtupendamque ſubterraneam ad 4. mill. paſſ. longitudinis, hinc inde diuerſis viis apertam conſpeximus. Nos quoq; ferè mille paſſus fidis ducibus, facibus præeuntibus, emenſi ſumus.

Spelunca ope re admirabili.

Eſt ea ſpelunca magno ſumptu, induſtria, ingenio in viua rupe inciſa, vt exiſtimẽt nullius, quanuis magni, principis opibus toto decennio ſimile

opus

opus confici poſſe. videtur adiacens vicus ab hac nomen traxiſſe, quod ſtrictiore ingreſſu ac munimine, quod faciunt latebroſæ ancipiteſq; ſpecus atq; cauernæ, facile cuſtodiæ loco ſit. Itaq; hodie belli tempore huc accolæ bona reſque ſuas conferunt. Sed diligentiſsime vndiq; à doctis idiotiſque authorem fabricatoremq; perſcrutatus nihil ſcriptu dignum reperi, nec ego certi quidquam hac de re ſuſpicari poſſum, niſi quod ob incredibilem ſumptum à Romanis ditiſsimis olim cōfectum fuiſſe arbitror. Non deſunt qui Patauium vicinum ex his lapidibus conſtructum putent, quod tamen minime veriſimile videtur, cum minore ſumptu ciuitas aliter extrui potuerit. Eodem die ad villam quandam citra Patauium imus 12. mill. itinere. Idibus Iunij (erat is dies ſancto Antonio Patauino, ordinis ſancti Franciſci, ſacer) Patauium redimus, quo die cardinalem Pannonium, nuper, vt aiebant, in ampliſsimū cardinalium ordinem

Solennitas in die S. Antonij de Padua.

ordinem ſuſceptum, vidimus, cum ſolemnibus cęremoniis ornatuq; rem diuinam in eius monaſterij templo peragerct. Veſpertinę pręces ab initio ad finem, cũ cantu figurato, tum diuerſis inſtrumentis muſicis cælebratæ ſunt, tum & ſupplicatio magnifica inſtituta, quę ſingulis annis magno vrbis totius conuentu fieri ſolet; nam præter cætera, circũferuntur plurimæ argenteæ imagines maximi precij, aderant quoq; vniuerſi Doctores cum Rectore gymnaſij celeberrimi: bini etiã ſunt prætores, ſiue prætor vnus, alter dux creatus à Venetis, in ſedecim menſes Patauinis pręſidentes, qui & ipſi cum cæteris magnatibus ſequebantur. Eo in monaſterio ad ducentos monachos habitare percepimus. Eodem die noctis crepuſculo Venetias verſus nauigamus, ibi, quod diſceſsionis iam tempus inſtabat, quæ longinquæ peregrinationi paranda erant coëmimus, quæ hic per ſingula referre ſuperuacaneum, cum non deſint Venetiis

netiis qui hoſpitibus hæc rogantibus indicent. Nam quamuis victum à Nauclero ſtipulati eramus, tamē quia nonnunquam res in diuerſum accidunt, neq; peregrini ex ſententia ſemper tractantur, vt nihil dicam de valetudine aduerſa, quæ nauigantibus crebro incidit, has in res comeatum comportauimus.

CAPVT IIII.

PORRO ad diem præſcriptū non diſceſsimus, cū ob vētum aduerſum, tum quod nōdum nauis onerata erat. Tandē 11. Kal. Iul. ſub noctem, Deo bene iuuante, oram ſoluimus, portuq;, nauigij alterius ad miniculo, vno dumtaxat expāſo velo egreſsi, ad 6. mil. paſ. ab vrbe conſedimus: ſub cœnam vento increbreſcēte magnū velū expandimus mari nauim commitentes. 9. Kal. Iul. eodem nos, vento proſequente, poſt cœnam Nauclerus cōuocatis famulis nauticis numero,

mero 32. quatuor in partes ſiue vigilias diſtribuit, deinde in concione tria præter cætera diligentiſsime obſeruanda inculcat. Primum videant ne quicquam furentur, propoſita verberum pœna: deinde blaſphemantibus eadem pœna conſtituta: tertio cõtra naturam qui peccent denuntiat eos ſe cum modico pane & aqua in proximo maris ſcopulo inſularum deſerto expoſiturum, vbi fame conficiantur: Indici delinquentium dimidius aureus promiſſus.

Leges ſalutares nauticis famulis præſcriptæ.

Forum Iulij.

Eodem die Forum Iulij (eſt vna ditio Venetorum) ſeptentrionem verſus, præternauigamus. Nox inſecuta incommoda vento aduerſo. 8. Kalen. Iul. S. Ioannis Baptiſtæ feſto, ventus paulo proſperior nos recreauit, vna voce omnes Deo gratias agentes canticum Salue regina, Litanias & alias orationes ex more dicimus, vt proſpera nauigatione vteremur.

Preces nauigantium.

Iſtria.

VII. Kal. Iul. Iſtriam, Venetorum etiam dominij, præterimus. Poſtridie

Dalmatiæ

Dalmatiæ oram (nunc Sclauoniam dictam) conſpicimus, nauigantes prę-terlabimur. 5. Kal. Iul. cum ventus ſecundus eſſet, naui ſurſum deorſumque magno impetu concitata, immodicè à procellis agitata, ſtomachi dolore ſum affectus, quem vomitus releuauit. 4. Kal. Iul. veſperi cum in locum periculoſum incidiſſemus, haud procul Vallona Dyrachioq́, Turcæ ditionis finibus, pyrataſq́ metueremus, nos ventus quo maius eſſet periculum, idq́ in ipſorũ conſpectu, deſtituit. Quapropter Nauclerus vniuerſis nautis, vt totam noctem inſomnẽ agant præcipit, nos quoq́ vt leuiore ſomno vtamur neque veſtibus exuamur orat, quo hoſtium inſultum paratiores excipere parati ſimus. *Dalmatia.* *Periculum à pyratis.*

xxx. Kal. Iul. qui dies eſt B. Petri & Pauli Apoſtolorum, ſatis incommodo vento nauigamus: cęterum ſub auroram viſa ſunt nobis eminus duo nauigia coniuncta, quæ primum terrori fuêre, ſed cum ſubito ſeiungerẽtur,

tur noſq; appropinquaremus, ſtatim rem, vt erat, coniectura aſſequuti ſumus, ſcilicet, nauim pyratarum alterã eſſe, à quibus altera mediocris Chriſtianorũ intercepta erat: cumq; pyratę nos in captiuorum auxilium feſtinare arbitrarentur, viribus diffiſi, abductis hominibus, potioreq; præda, ac mercibus, nauiq; fere vacua demiſſis velis mari commiſſa, fuga ſibi conſulunt. Noſtri itaq; nauim deſertã conſecuti, cum auidius omnes in eam inſilirent ex ſcapha, quã reliquis mercibus onerabãt, accidit vt fune rupto pene effugerit. Id vbi videre ſubito nautarum quidãſe in eam iniicit, tres alij in mare deſilientes vix nando ad nauiculã peruenerunt. Ita reducta ſcapha, merces nos, victum, vela, funes, & cætera in nauim noſtram transferimus, ac nauim vacuam mari committimus, prudẽter quidem: nam ſi nauim quoque noſtri nautæ abduxiſſent, eamque in portu aliquo vendidiſſent, re cognita, omnia reſtituere vel domi-

Chriſtianorũ nauis vna intercepta, Chriſtiani capti.

nis

nis propriis oportuiſſet, vel hæredibus eorum, vel certe his qui rebus publicis his in portubus præſunt. Itaque miſeri illi primum à pyratis capti, parteque bonorum ac libertate amiſſa, denique parte altera per noſtros nautas ablata, hunc euentum habuerunt. Nauis, vt creditur, in ſcopulum aliquẽ illiſa, aut aliàs vi maris abſumpta, Id documẽto eſſe poteſt, quàm incerta alea fortunæ. Eodem die peregrini quidam è noſtris ſe piſces ad integrũ ſtadium volantes vidiſſe aſſeuerant, quorum piſcium oſſa cùm Venetiis, tũ in inſula Zacyntho in templis appẽſa me vidiſſe memini. His diebus Albaniæ regio fere ſemper nobis à ſiniſtris conſpicitur, partẽ Veneti, partem Turca, reliquã Albani poſsident quam Chimeram vocãt: qui etſi Chriſtiani Chriſtum ſuo more colunt, malis tamen ſunt moribus, inſtar prædonum agentes. Hinc mercatores, eò rari commeant ob gentis feritatem. Iiſdem diebus piſces (vulgo Palamides) *Piſces volantes.* *Albania.*

mari

mari exilientes vidimus: hi minutiores prædatum eunt. Pridie Kalen. Iul. vento aduerſo nauigantes noctis crepuſculo nauim eminus conſpicere (dubij tamen) viſi ſumus. Auxit timorem quod in loco periculoſo, mari pacato, & continenti vicini eramus. Has ob res iuſſu Naucleri omnes bombardæ maiores numero 26. minoreſq; & cætera apparata ſunt: nos quoq; moniti ſtragula in medium cõtulimus, arma lapideſq; in quibus aliquid ſpei erat corripientes, cæteraq; ad pugnæ vſum opportuna præparauimus. Qua alacritate cæteris nautis, reliquiſq;, qui & ipſi in procinctu erant, animi non parum additum: noctem egimus penè vniuerſi inſomnẽ, niſi quod pauci, humi, ſomni aliquid interdum caperent.

Fortaſsis data opera plus impendêre periculi à Nauclero oſtendebatur ſimulabaturq;: quò melius omnia ad inſultum Piratarum componerentur, noſq; ea re melius quo animo eſſemus

mus pernoſceret. Kalen. Iul. ac poſtridie eodem vento nauigauimus: ea recte mercator quidam immiſſo hamo, lineo velamine cooperto, piſcem prægrandem, Totanum vocant, noſtro falconi ſimilem, capit. Is in prandio appoſitus non admodum ſuaui ſapore, vt carni quàm piſci ſimilior videretur. Cum recta nauigantes Corcyram præterire contenderemus, ecce tibi in medio curſu coortus cõtrarius ventus retro nos agit: quare inter cõtinentem inſulæ anguſtioremque ſinum ingreſsi ſumus, auxilio Scaphæ à nautis remis actæ, vbi & anchora iacta, ne nauim ſcopulis illideremus, conſtitimus. Ibi quoq; inter eundum vidimus oppidum dictum Caſopum, vbi præter oppidi mœnia nil fere relictum à Turcis eſt. Habet et templum D. virgini ſacrum, vbi ſemper lumen ardens, illis oleum ſuppeditantibus, conſpici aiunt. Vix tandem 5. nonas Iulias ad locum primarium, ac metropolitanum, inſulæ cognominem deuenimus

Totanus piſcis.

Caſopum.

D. Virginis templum.

uenimus, vrbem olim potẽtem vt ruinæ indicant, nunc raro habitatore ſemirutam. Cæterũ templa planè lacera & male curata: quorum mos in ſacrificijs ac cæremonijs, Romanus, etſi populi ſermo, ob vicinitatem Græciæ, græcus eſt. Inſula ſatis fertilis, præſertim qua ſpectat continentem Albaniam, ambitu miliariorũ 1000. ditionis Venetæ. Hic ſedes Archiepiſcop.

Corcyræ munitiones.

Inſulam arces duæ fortiſsimæ muniunt, mœnibus, foſsis & aquis maris obſeptæ. In præſidio quingenti milites. Propugnaculũ ſanè forte, & quod mediolanenſi æquiparetur, aut fortè ſuperet, ſitu loci & ingenio plane inuictum. Cuiq; arci præfectus ſuus eſt attribut⁹ in trienniũ arcis mœnibus nõ excedens, niſi cõſulis, qui toti arci preeſt, permiſſu. Trirem. 17. Vene. maria vicina à pyratis tuentur, nonnunquã etiam plures, vt res fert, paucioreſue.

Inſulæ direptio.

Turca anno 1537. hanc inſulam maxima claſſe 200000. hominum, exercituq; ingenti ex improuiſo inuaſit, omnia

nia depopulatus, abductis etiam circiter hominum 30000. magnaq; auri & argenti copia, quę auferri non potuere perditis deſolatisq;, vt ruinę demõſtrant, cum ante vaſtationem celeberrima inſula fuerit. Ibi poma, ficus, pruna, & cætera fructuum genera matura inuenimus. Habitant inſulã & iudæi cõplures, manifeſtum priſtinæ felicitatis inſulæ argumentum, cum hi non niſi in optimis regionibus, amplioris lucri gratia, morari conſueuerint. Diſtat hæc inſula Venetijs 70000. paſ. 4. nonas Iul. ſub cœnam anchoras ſuſtulimus, erat autem ventus parum ſecũdus, quare die inſecuto exiguum viæ emenſi ſumus. Hic ad ſiniſtram oram Græciæ, eſt inſula quæ S. Maura cõgnominatur, ad dexteram vero inſula Cephalonia, quæ in circuitu dicitur, habere 180000. paſſu. ſeſe oſtendit: eſt & hæc imperij Veneti, arce fortiſſima defenſa ac prope inexpugnabili. Pridie nonas eiuſdem menſis mediocri vento ſub meridiẽ ad Zazynthum

S. Maura. *Cephalonia.* *Zazynthus.*

thum appulimus, & ipſam Veneto-rum inſulam ſanè fertilem, ac laudandi vini feracem potentiſq;. Habet inſula & oppidum cognomine, ſatis frequens, propinquum portui, etſi ædificia minus ſplēdida, quòd mœnibus non ſit munitum. Itaq; belli tempore incolæ fortunas ſuas in arcem prægrandem, monti vicino impoſitam, cōferunt. Ita facile hoſti reſiſtunt, cùm arcis prçſidio, hominumq; multitudine, & alacritate (qua in primis commendantur) tum equeſtribus ex curſionibus, quibus valent, & ob equites egregios, & equos ſingulares: præterea adſunt in inſulæ tutelā 300. equites Albani à Venetis continuis ſtipendiis cōducti, qui die noctéq; excubantes, diſcurrentesq;, peruigiles cuſtodes agunt. Omnes Eccleſię, Græco more, prçter duo monaſteria Minoritarum, ſacrificant: quod ad ornamētum attinet, nō ſuperfluas illic opes cōſpicias.

Habet inſula in circuitu 160000. paſſuum, diſtatq; à Corcyra 70200.

millia-

miliaria. E regione Zacynthi, ad oras maritimas Peloponeſi, arx conſpicitur nomine Torneſe, alto monti impoſita, vt fama fert, fortiſsima Turcarum ditionis, qui hodie (proh dolor) omnem Græciam, cum nonnullis finitimis prouinciis & Rhodo inſula, occupant. Eodem die ſub noctis crepuſculum ſecundo vento oram ſoluimus, qui & die inſecuto perdurauit, quo die ſub prandium vidimus à dextra exiguã inſulam, Seriuali ei nomẽ, in ea cœnobium eſt eminus ſe oſtendens, in quo plerique cœnobitarum, nautæ (vt aiunt) fuêre: Deum græcis cæremoniis colunt, nec vnquam carnibus veſcuntur. Octauo idus Iulij meridie proſpero vento orto plenis velis ferebamur. Altero die cum ventus defeciſſet, vidimus inſulam Cytheram, hodie Cerigo, circuitus 50000. paſſu. Peloponeſo ferè contiguam, arce (quoniam populoſa fertiliſq; eſt, quamuis & ipſam Turca vaſtauerit) egregie comunitam, dominij

Arx Torneſe.

Seriuali.

Cythera.

Veneti. Ad dexteram altera eſt inſu-
Sicerigo. la Sicerigo nuncupata, ignobilis ac deſerta. Hic & Cretæ iuga monteſq; niuoſi eminus conſpecti nouum nobis ſpectaculum ad id anni tempus præbuere.

CAPVT V.

DIE ſequente, vento ſatis proſpero aſpirāte, nobilem inſulam Cretam appellimus, olim
Creta. centum vrbibus inſignem, hodie vix quinq; (vt res ſunt populorū inſtabiles) & ijs partim bellorū incurſionib⁹ ſemirutis, partim terræmotu ingenti ſuccuſsis. Incidit is terræmotus in annum dñi 1508. quo & ad 30000. mortales extincti. Sunt autē hęc incōmoda inſulæ huic & hodie ſatis familiaria. Nam ciuitas Candia nūc totius in-
Candia ciuitas. ſulę maxima (à qua nunc & inſula denominatur) quæ olim Cytæum dicebatur, mœnibus arceq; alioqui ſatis fortis, portui amænißimo impoſita,

bene

bene quidem munita, cæterum, intus ferè ſemilacera eſt. Sanè ruinæ demõſtrant quæ olim quantaq́ꝫ vrbs fuerit. Hîc Ducis domicilium, qui à Venetis ad biennij ſpacium creatus toti inſulę præeſt, Is erat tum temporis Carolus Capellius, præter trium linguarum notitiam, alijs quoque ſcientijs exornatus, nobili in primis familia, miraque morum facilitate ſuis Venetis commẽdatus: ab eo prandio exceptus lucuľẽto, etiam opuſculis ac libellis ab eo compoſitis amoris ergò ſum donatus. Capitaneus vero (vt vocant) rem militarẽ adminiſtrat. Ambo cũ duobus duumuiris merum & mixtum habent imperium. Cęterum arcis præfectus arcẽ ipſam portui vicinam, tutioris cuſtodiæ cauſa (vt ab eo accepimus) in biennium nõ egreditur. Nos copia facta eũ conuenientes humaniterq́ꝫ excepti arcẽ breuis quidem circuitus, cęterũ ſitu marino mœnibusq́ꝫ ſane munitam inuiſimus. Eſt hic & religioſum B. Franciſci cœnobium, tem-

plumq́ꝫ eximium, in quo auunculus meus Ioannes à Meggen, florente ætate, quondam Hieroſolyma rediens, cum à pyratis lætali ſpiculo ictus eſſet, atq́ꝫ diem obijſſet, ſepulturæ traditus eſt. Ego ſacra illi diuinaq́ꝫ officia, pro eo ac debebam, Chriſtiano more celebrari curaui. Vidimus illic ſub ipſo tẽplo ſubterraneam cryptã, vbi defunctorum cadauera ligneis arcis, ſiue ferreis incluſa, ſine putredine & fœtore diutius conſeruantur. Huic loco puteus eſt vicinus ſanè nobilis, cuius aquam ob vicinum mare olim ſalſam, pòſt S. Franciſci benedictione & prece in dulcem ac potabilem conuerſam aiunt. Eo in oppido, ob mercatorum, optimatumq́ꝫ Venetorum, & militum copiam, Romanus Eccleſiarum ritus ferè excellit, cum templa latina, ſtructura potius quam numero greca antecellant. Ego quoq́ꝫ rei diuinæ græcæ interfui, in qua cæremoniis non indecoris vtuntur. Cæterum quas ob res Schiſmatici ſint, atque

S. Franciſci beneficium.

que à Romana Eccleſia alieni, non eſt huius loci diſcutere. Reddet Deus vnicuiq; ſecundum opera ſua.

Tota vero inſula græci idiomatis, ſed impuri & corrupti, vt perinde grece loquatur vt latini latine. Eadem vrbs eſt ſedes Epiſcopi. Primus tempore apoſtolorũ à B. Paulo conſecratus Titus, mira ſanctimonia eam rexit Eccleſiam, poſteris præclaro relicto, & quod imitari omnes oporteat, qui populis præficiuntur, exemplo: cuius & reliquiæ, ſacrum pignus, in templo Cathedrali ab eodem nuncupato conſeruantur. Tota inſula ſatis plena, ac populoſa, omniumq; rerum ferax, ac fructuũ præcocium, ob eximium ſcilicet æſtum, vt non ſolum cæteri fructus, ſed & vuæ ad id tẽpus iam maturæ eſſent. Aiunt fide digni omni tempore anni vites quaſdam, quarum & nobis nonnullas oſtendêre, botros maturos proferre. Nam quid de vino dicere attinet, cum vina cretica toto orbe celebrentur. Patet

S. Titi primi Cretenſium Epiſcopi reliquiæ.

in circuitu inſula 700000. vel vt alij volunt, 600000. in longum 250000. in latum 60000. paſſ. Diſtat à Zazyntho 600. miliaria, Ida mons Iouis (cum Virgilius eum quoque Cræte Dominum faciat) 40000. paſſuum, Candia abeſt. Labyrinthus autem, de quo idem poëta 5. Æneidos loquitur, 24000. qui vicinus eſt Metropoli quondam Cretæ ſplendidæ vrbi, ſed cuius nunc præter nomen egregium fere nil, niſi ruinę, eſt reliquum. Quas res noſtrum aliquot inuiſere decreueramus, equis ſiue mulis in hunc vſum conductis: cæterum perfidia inſularium fecit, quo minus ob incertum nauis abitum votis potiremur. Ita & nos experti quod D. Paulus in epiſtola ad Titum. Epimenidis verſum citans, de Cretenſibus ſcribit, eos ſemper mendaces, ventres pigros, & malas beſtias inſimulans: Sed quoniam longiorem, quam par eſt illic exonerandæ nauis cauſa moram fecimus, aliquot è noſtris ob inſuetum

Ida mons. *Labyrinthus* *Tit. 1.*

calorem

calorem,fructuumque eſum, viniquc cretici & aquæ potū in lethalem morbum inciderunt, in quibus ego cum grauius etiam haberem,mihi illic cum auunculo quieſcendum arbitrabar. Cæterum omnipotentis Dei auxilio, ſine medicorum adminiculis, ſtatim reualui. Eſt è regione huius inſulæ, continentem verſus, inſula alia ignobilis, raris habitatoribus culta, nomine Scandia, continuis pyratarum incurſionibus expoſita, vbi etiam, cum ibi eſſemus, aliquot piſcatores ab infidelibus interceptos aiebant. Habent Cretenſes aſsiduos illic vigiles, ſpeculatoreſque, qui hoſtiles incurſus præuiſos dato ſigno è turribus indicant. Cum itaque non ſine tædio octo integris diebus illic morati eſſemus, quibus, quoniam ventus ſecundus erat, facile in Paleſtinam recto curſu nauigaſſemus, videretque Nauclerus è re omnium eſſe abitum noſtrum maturare, quia & ipſe non ſine diſpendio *Scandia.*

& tem-

& temporis & pecuniæ illlic hærebat, & nullis ferè mercibus, ſed arena ſuburraque nauis onuſta erat: etenim inſula, præter vinum caſeumq; ouinum, lacte quippe non minus quam vino abundat, paucis admodum mercibus, præſertim itineri noſtro idoneis, diues eſt: vento mediocri portu egreſsi, vt ne ſcopulis illideremur, 14. Kalen. Augu. poſt meridiem vela ventis commiſimus. Poſtero die vento ſecundiore Caſum inſulam ignobilem, Carpathum nobiliorem, Rhodum vero multo celeberrimam præter nauigamus. Nunc Turcarum quidem ditionis eæ ſunt, quas Chriſtiani à paucis admodum annis nō ſine magna ignominia amiſerunt, de quibus ſubticere quam plura dicere ſatius puto, ne cicatrices iam vtcunq; obductæ acerbius recrudeſcant: eas itaq; inſulas à ſiniſtra reliquimus. Carpathus verò à nobis facillime conſpiciebatur: cæteræ non ita. 12. Kal. Aug. multo ſpacio emenſo omnem continentem

Caſum. Carpathus. Rhodus.

nentem inſulaſq; ſic reliquimus, vt eo die cum ſequentibus aliquot nullam prorſus terram inſulamue conſpiceremus. Ad veſperam diei cœpit proſperior ventus, aliquandiu afflans, paulo poſt mutatus noſq; certo impetu adortus, non minimo terrori fuit, qui et totam noctem paulatim crebreſcens, procellam ingentem die inſequente excitauit, ita exaſperato mari, vt conſurgentibus vndarum molibus, inſtar rupium, nos illarum vi & ventorum flatibus, huc atq; illuc, ſurſum ac deorſum, in dextram & læuam, nequeuntes cõtra obniti, abriperemur. Auxit periculum, quod altiſsimũ mare ingreſsi, facilius ventis expoſiti eſſemus, vbi nullo prope vento facile vnda conſurgit: qui locus noſtræ nauigationis totius fuit maxime periculoſus. Mare hoc (Golphum Sethaliæ vocant) quod S. Helena Conſtantini Imp. mater cum olim nauigando trãſiret, vehementiuſq; efferueſceret, iniecto clauo (quo Chriſti ſacrum corpus

Tempeſtas maris.

S. Helena iniecto clauo S. mare mitius reddidit.

pus trânsfixum fuit) aliquando tranquillius manſuetiusque fecit: prius enim nō niſi maximo periculo altum hoc nauibus peruium fuit. Cum ita vento mariq; iactaremur, armamenta nauis, reſq; adeo omnes crebris ſuccuſſionibus agitabantur, vt ciſtæ noſtrę, noſq; illis (vt aſſolet) incubantes, nunc in hoc, nunc in illud latus, non ſine ingenti diſcrimine & rerum & corporū, identidem verſaremur. Eo loci, quibuſdam ſtragulis abiectis, humi cubare tutius viſum. Nauis, quū fœda tempeſtate nonnihil identidem aquarum accepiſſet, vndis procelliſq; vtrinque inſiliētibus, ac ſuperiori parte nimio impetu cōcuſſa, iam penè laxatis compagibus, diſſolueretur, diligēter à nautis funib9 ligabatur. Sane poſtea Nauclerus mihi nō parum ſe periculo perturbatum affirmauit, deq; ſalute noſtra actum dicens, ſi id brumali tempore, præſertim pluuioſo, accidiſſet, neq; nauem vel fortiſsimam præſidio futuram fuiſſe: quæ res nobis hoc articulo

ticulo vſui fuit & ſaluti. Nam hic non tam magnitudo nauis quam fortitudo quæritur. Nos itaque fere vniuerſi, cum nonnullis quoque nautarum, non parum affligabamur, vt multis vomitus cum ſumma ſtomachi nauſea imbecillitateque oboriretur. Denique de ſalute exigua ſpes reliqua: vnum erat quod in Domino IESV CHRISTO, cui proprium eſt miſereri & parcere, fidebamus: qui noſtri miſertus, paulatim & mare & ventum tranquillauit. Itaque cum ad 7000. paſſuum hac tempeſtate (vt Nauclerus iudicabat) Africam verſus reiecti eſſemus, triduo toto parum aut nihil promouimus. 8. Kalend. Auguſt. circa noctis crepuſculum nauta conſcenſo velo, & cauea, quam vocant, viſam à ſe Cyprum lætus exclamauit, quæ res & nobis voluptatem attulit non minimam. Poſtridie ipſa inſula clarè conſpecta, nauigantesque ſecundo vento oram Cypriam, Paphum (vbi Septem dormien- *Cyprus.* *Paphus.* *Septem dormientes.*

Septem dormientes. dormientes 700. annis dormiuiſſe fama eſt) ad læuã reliquimus, ac Amathum, nunc Limiſſo vulgo dictam, *Limiſſo.* ſub crepuſculum noctis appulimus. Epiſcopatum ibidem (etſi parum opimum) eſſe accepimus. Locum ſanè quamuis mœnia nulla ſepiunt, tamen ſatis elegantem celebremq́ aliquando extitiſſe, ruinæ, quæ viſuntur, declarant. Incolæ Anno 1539. die 14. *Turcarum ſæua irruptio.* Maij à Turcis, quorum decem fuſtæ (naues expeditiores reique pyraticæ magis idoneas ſic vocant) eò ex improuiſo venere, ad internecionem ferè deleti ſunt. Nam cum incolæ bona ſua in arcem contuliſſent ſatis munitam ac tutam, ſi vel pauci milites adfuiſſent, ſubitò pyratarum multitudo irruens admotis ſcalis arcem cœpit, bonisq́ ablatis omnia ferro igniq́ deuaſtauit. Quo accepto nũcio, etſi arx facile poterat reparari, tamen Veneti ne aliquãdo à Turcis capta munitaq́ cum periculo totius inſulæ potiundæ retineretur, diruendam cenſuerunt.

CAPVT. VI.

SEXTO Kal. Auguſt. ſub meridiem ſoluentes paucis horis ad Salinas peruenimus, vbi ingens copia ſalis magno Reip. Venetæ emolumento conficitur. Quæ circumiacent, humiles caſæ ſunt, cumque mœnibus detectæ ſint, ſatis hoſtilibus incurſionibus patent. Die altero veſpere conductis equis, ſanctæ Crucis ſacellum verſus, iugo montis altiſsimi impoſitum, contendimus, quo poſtridie conſcenſo reque diuina peracta, iter quod ducit Nicoſiam ingredimur. Abeſt S. Crucis templum circiter 20000. paſ. à ſalinis, itinere propter frequentes aſcenſus difficili & moleſto. 30. Kal. Aug. orto iam ſole Nicoſiam, à S. Cruce plus minus 30000. paſſ. diſtantem peruenimus, vrbem prægrandem quidem totiuſq́ue inſulæ magnitudine & opulentia facile principem, cæterum ruinis informem & immunitam, vt quæ, quãuis mœnibus ſepta, tamen militũ

Salinæ.

S. Crucis ſacellum.

Nicoſia.

incurſum nequeat prohibere. Quare temporibus belli, relictis penatibus, ſe reſq; ſuas magnates (quorum plurimi ſunt equites aurati) priſtinā Cypri nobilitatem vtcunq; referentes, in Famaguſtam conferunt. Templum cathedrale ſanctæ Sophiæ ſatis elegāti ſtructura inſigne, eſt Archiepiſcopi ſedes, etſi cum hic eſſemus ille à grege ſibi commiſſo fortè aberat. Reges Cypri apud prædicatoriæ familiæ religioſos ſepulti, magnifica in Eccleſia illa ac planè regia habent mauſolea. Nos & apud ſanctum Ioannem (vbi Minoritæ cœnobium habent) oſſa cuiuſdam ſancti Ioannis Comitis à monte forti conſeruari accepimus. Legi ego epitaphium quoque ſatis elegans ad altare, quod idem ſignificabat. Locus ſanè eleganti porticu inſignique horto (vt pleraque eius ſodalitij monaſteria) ſatis amœnus. Fluuius ipſam vrbem interfluit, quod pontes lapidei indicant, iſq; interdum vehemens ac violentus, tametſi cum huc venimus

Sepultura Regum Cypri.

venimus alueum ſiccum vidimus, ob vehementem calorem amne ſiccato, quem & ſolito maiorem locis illis incubuiſſe incolæ aiebant.

Hoc in oppido ſedem habet Locũ tenens, quem latine Proregem dicas, à Venetis in triennium creatus, ſummum cum his, qui illi à concilijs ſunt habens imperium. Is tum tempore Ducis Cretenſis germanus erat. Moratur in regijs ædibus, ac regum priſcorum palatio: fuit enim regnum olim & ditiſsimum & nobiliſsimum, Hieroſolymitanoque regno, quod & inſignia eius indicant, coniunctum, etſi, vt res ſunt, ac viciſsitudines humanæ, nunc magnō ex parte lacerum ruinoſumq́ vix ſuũ tuetur nomẽ. Mihi ruinas huius inſulæ indaganti, à viro quodã doctiſsimo reſponſum, difficile eſſe de his certi aliquid pernoſcere. Itaque & ego quid in vero, ſit, peritioribus rerumque orientis doctioribus enarrãdum relinquo. Quo etiam iure ad Remp. Venetorum per-

uenerit Cyprus, quoniam non ſatis compertum habeo, & nonnihil etiam inuidiæ veritas, (Terentio teſte) ciere poteſt, cõſulto ſubiceo. Qui poſtremus regnauit in inſula Iacobus à Luſigno dictus eſt: obijt anno Domini 1473. Cum itaq; vrbem iam ſatis perluſtraſſemus, equis conſcenſis pridie Kal. Augu. noctu (longè enim commodius ob nimios æſtus hæc itinera tunc conficiuntur.) diſceſsimus. Kal. *Famaguſta.* verò ipſis ſub prandium Famaguſtam peruenimus. Hęc à Nicoſia diſtat millibus paſſ. quadraginta, ſane fortis ac munita, preſertim qua terram ſpectat. Eam enim Veneti, poſtquam inſula ſunt potiti, mirè nouis firmiſsimisq; mœnibus munierunt, vt, cùm ob adiacentem extrinſecus vrbi terram eamque declinantem, (quare tormentorũ ictus à mœnibus facile auertunt) tum quod rupi duriſsimæ impoſita, cuniculis ſubterraneiſque dolis haud quaquam obnoxia exiſtat, planè inexpugnabilis videatur. Accedit mira ſpiſ-
ſitudo

ſitudo murorum 33. pedum terraque intrinſecus aggeſta: debilior, qua mare ſpectat. Cæterum & parte hac eâdem; propugnacula aggereſque Illuſtriſsimi Senatus Veneti decretum, quo nihil deſit, obijci, ac circumduci, vt, cum hic eſſemus, ferebatur, conſtituit. Nam etſi ampliſsimo portui arx, mœniaq́, olim fortaſsis ſatis munita, impoſita iunctaque ſint, nunc tamen comparata muris cæteris, infirma, antiquata ac ruinoſa videntur, vt hoſtibus hac parte facilior ingreſſus ſit, qua minime oportebat: cum maritimi inſultus improuiſi, ob vicinos hoſtes plus habeant periculi. Oppidum hoc totius Cypri propugnaculum merito exiſtimatur: habet enim, præter cætera armamenta, bombardarum numerum maximum: vſitatum ſtatumque præſidium, quingentorum eſt militũ, qui numerus bellorũ temporibus pro ratione periculi adaugetur. Suprema iuriſdictio penes præfectum eſt (capitaneum vocant) biennij magiſtratu.

Secundū hunc Gubernator cū tribus centurionibus habent imperiū in annos quinq; ac Gubernatori quidem ducenti, reliquis vero tribus centeni milites ſubſunt. Aliquot Heluetios ac noſtræ gentis hic militantes reperi, demiratus quod eam ſeruirent ſeruitutem, annui ſtipendij mercede 20. Coronatis contenti, tum ita militiæ obnoxij, vt diſcedere volentibus non liceat. Habet inſula arcem etiam nomine Cerine fortiſsimam: in ea milites quinquaginta, ſuum habentes pẽtecontarchum cæteraque munimenta, quæ aduerſus hoſtium impetum, incurſumq; ſufficiant. Equites Albani in inſulæ cuſtodiam ac ſpeculã adhibiti ſunt ſexcenti, Cypri 1000. Maiore ſunt numero Eccleſiæ, quæ græco ritu ſacrificant: tamen latinus mos eſt in templo præcipuo & cathedrali, quod ſancto Nicolao dicatū eſt. Hinc in vrbe Famaguſta ſuum græci, ſuum & latini habent præſulem. Templum ſanè græcorum cathedralem, diuo

Arx Cerine

Duo præſules Famaguſtæ.

Georgio

Georgio ſacrum, ciuis quidam opulentus ſatis magnificè cōſtruxiſſe memoratur, in quo clauum, quo Dominus confixus eſt, cum particula ſanctæ Crucis nobis æditui oſtendêre: in alio templo diuæ Virgini dicato, Romani ritus, vna extat hydriarum, in quibus dominus aquam in vinum in Cana Galileæ commutauit.

Clauus vnus quo Christus confixus.

Hydria vna ex Cana Galileæ.

Tota Cypri inſula diuerſarum mercium fructuumque ſanè ferax, vtpote ſalis, ſaccari, Goſsipij (Bombaſiū vocant) ſerici, olei, & aliarum rerum. Dictu enim difficile, quam hęc regio omnia abunde ſuppeditet, modo in cōtinuis ęſtatis caloribus humor ne deſit, ſed aſsiduè irrigetur. Quod incolis & curę eſt, qui ſumptibus hic nō parcūt. Nam ad eam rem puteos habent altiſſimos & patentes, è quibus fictilibus ollis, magnis rotis circumactis, equo agente trahenteq́, magna aquarū copia exhauritur, atq́ aruis infunditur. Etenim, quod partim ipſe cōſpexi, partim à fide dignis accepi, anni tempora

Cypri feracitas.

hic, præter noſtrarum regionū habitum, videntur præpoſtera, ęſtate adeo ſicca atq; aduſta ſolis vehemētis ardoribus, vt vix vſquam locis, quæ irrigatione non iuuantur, vel herbulam cōſpicias. Hyeme contrà, poſt autumni crebras pluuias, campis paſsim irriguis, lætam herbam germinante, & ſpecioſam faciem oſtētante: vt hyemē verius, ęſtatem dicas. Sane iter facientibus, arantibus, quiduis opera ac negocij exercentibus, ægris etiam tempus hoc oportunius multo videtur: neq; enim frigore inceſſuntur moleſtanturue, niſi cum boreales ſpirant venti. Alia æſtatis ratio, in qua omnia adeo torpent, vt non ſolū aduenis, ſed & indigenis minime tutū ſit ſub meridiem procedere. Quare domi ſe continent, ac tectorum pręſidio mortiferos ſolis calores, qua poſſunt fugiunt, ac deuitant. Solis ortum præuertūt, crepuſculū captantes, ſimul vt conſulant ſanitati, ientaculo aduerſus ingruentem debilitatem vires firmant. Quoq;

Hyems Cypris percommoda.

Aeſtas incommoda.

intem-

intemperies & æſtus quantus ſit, cognoſcatur, magna agricolarum pars humi proſtrati ſub dio nudi cubitant. Solent honeſtiores ſtragulis incubare, ventiſq; expoſiti vix linteamine ſe tegere. Gens tota Cypria genio ſatis indulget, ac voluptati, vt non immerito hæc Veneri inſula olim dicata fuiſſe memoretur: quippe cum omnia affatim ſuggerat, quæ Veneri fomenta ſubminiſtrant. Sed etſi vina huius loci laudata ſunt, cæteriſq; meliora, neſcio tamē quanam cauſa inoleuerit, vt picatis dolijs vſi generoſū vini odorem tetro ſapore inficiant, vt omne Cyprium vinum picem redoleat, nec niſi aſſuetis gratum ſit. Aiunt quidem ſtomacho id conferre, cæterū rei veritas penes illos ſit. Abeſt à Famaguſta 5000. paſſ. ſacellum D. Catharinæ virgini ſacrum, vbi regijs in ædibus nata fertur: neq; abſimile vero eſſe, ex ruinis conijcias. Neq; procul hinc carcer, quo Rex Coſtus, pater virginis, eam nuptias recuſantem, ve-

Cypriorum indoles.

Vina Cypria.

D. Catharinæ ſacellum.

roq; ac æterno ſponſo nuptam incluſit, diligenti adhibita cuſtodia. Fuiſſe in hoc loco oppidum ingens ſanè, nomine Salaminam, vetus fama eſt. Lapides ingentes paſsim ſtrati, moleſque magnæ ruinarum adhuc ſuper ſunt. Huius opes & hodie ſe oſtendunt, cum effoſſa humo, apertiſq; monumentis ac ſepulchris & inumera, & pretioſa monilia eruantur, hoc eſt, murenulæ aureæ, torques aurei, argenteique, annulli, gemmæ, cæteraque magni precij ornamenta. Ad has res, cribrata terra, ac ſcrupuloſius diſcreta, perueniunt. Nam hic mos illis erat temporibus, vt mortuorum cadauera hoc genus ornamentis decorata ſepulturæ mandarentur. Quam rem ſic ſeſe habere, oculis ipſi, conſpeximus, cum in cryptas ſubterraneas deſcendentes, ad foſſores ipſos acceſsimus, à quibus miræ antiquitatis monumenta emimus cum aurea, tum argentea: addo gemmas ac numiſmata perueтuſta, partim aurea,

Salamina.

Opes Salaminæ.

partim

partim ærea, græcis latiniſq; inſculpta characteribus. Viſuntur & hodie fornices aquæductuum celſi ſublimeſque, ſed magna ex parte exeſi vetuſtate collapſique. His aquæ abundantes in ciuium vſum à monte 12000. paſſ. & eo amplius, mira induſtria ac magno ſumptu ad vrbem deducebãtur. Hoc opus ſanè olim eximium, cæteræque ruinæ circumiacentes indicio ſunt, vrbem hanc cùm ampliſsimam ſplendidiſsimamq;, tum ditiſsimam ac totius inſulæ fuiſſe metropolim. Hic enim & regia ſedes erat antiquitus, & cathedra Archiepiſcopalis, in qua olim Plutarchus vir ſanctiſsimus ſedit, vt græcæ litteræ poſtibus inſcripta etiam nunc teſtantur. Ad duo ferme ſtadia à Famaguſta ſacellum eſt, ſubterraneum diuæ Theclæ ſacrum, vbi aliquot gradibus deſcendenti fons aquæ longè optimæ ſeſe offert, ac tam ſalubris, vt ea pota febricitantes, vt fama eſt, liberentur.

Salamina olim Cypri metropolis.

Sacellum S. Theclæ.

Monumenta Gallorum in Cypro.

Cæterum ferè omnibus in templis huius inſulæ paſſim & epitaphia & aliæ hiſtoriæ gallicò ſermone conſcriptæ reperiuntur, tum mores, veſtitus, vocabulaq; non paucà ita cum Gallis congruunt, vt vero non abſimile videatur olim à Galliæ principibus poſſeſſam fuiſſe. Accedit quod Sabaudiæ Ducis arma frequenter, & nonnunquam Regum Francorum inſignia multis locis conſpiciuntur. Id quod tum reor accidiſſe, cum Chriſtiani principes noſtris hac re præſtantiores, ac magis vnanimes, terram ſanctam Saracenis ereptam aliquot annis obtinuere: tametſi poſtea, diſcordia gliſcente ſimultateque, & regnandi libidine, vti Paulus Æmilius teſtatur in hiſtoria, eam rurſum amiſere. Quod quidam de perdicibus Cypri cicuribus, de earum copia, ac vtilitate, deque ouium pretio vilißimo litteris mandauere, fortaßis eo tempore, cum ſcripſerunt, ita res erat, hodie vero ſecus eſſe oculorum teſtimonio com-

comperimus. Habet quidem oues plurimas, caudis mirum in modum magnis pinguibusque, ſex & amplius libras appendentibus: cæterum non perinde vile harum eſt pretium, præterea perdices ſunt ſane pulchræ, non tamen eas ita cicures vidimus, vt gallinarum more, cæterarumque cortis auium in domibus habeantur, quemadmodum itineraria quædam ſcribunt. Equidem non negarim cicuriores aliquot reperiri, quanquam non abſque labore, temporiſq; diuturnitate id fieri. Hæ ad hūc modum manſuefactæ carius diuenduntur, quod aucupibus ad aucupandū vtiles ſint. Eſt inſula cuidam peſti & calamitati obnoxia: vermes quippe ſingulis prope triennijs, preſertim ſi ſicciores anni fuerint, regionem infeſtant, qui paulatim creſcentes menſe Martio iam alati digitique craſsitudine longiſque tibijs ſimiles ſunt locuſtis. Hi ventis impulſi, tanta copia ac multitudine volitant, vt inſtar nebulæ videantur, *Perdices cicures.*

deantur, quibuſque ſegetibus inſederint vniuerſas ita radicitus deuorant, vt inde nec herba, neque fructus expectetur. Qua ex re magna interdum annonæ exiſtit penuria. Itaq; agricolæ certam terræ menſuram, cui morientes beſtiæ (vulgo caualetos vocant) caudas inferunt, ac ſic oua, germenque futuræ propagini excernunt, in annos ſingulos magiſtratibus pendere exhibereque aut pro hac pecuniam exoluere compelluntur, quæ terræ portio in mare inijcitur, quo peſtiferum hoc genus vel tollatur vel ſaltem imminuatur.

Anguria fructum. Profert & inſula fructum, cui Anguria nomen eſt, maiorem humano capite, multi ſucci, humoriſque, & maximi refrigerij, vt à laborantibus morbo, febrique edatur impunè. Nam mirum in modum ſitim ſedat, vt hac cauſa in regione arida & caloribus infeſtata in precio habeatur. Eſt ſermo inſularium, græcus, græci & characteres, quanquam nonnihil

à cretica

à cretica dialecto lingua ipſa euariet.

Porro cum ad Cyprum appulimus, Nauclerus diligentius naui inſpecta debiliorem, magiſque, quam arbitrabatur, præterita tempeſtate concuſſam animaduertit, vt nonnulli affirmarent ſi dimidia hora diutius cum mari ventiſque luctandum nobis fuiſſet, neque nauem neque vectores euadere potuiſſe, vixque crederent, dum ſingula rimarentur, ſeſe eſſe ſuperſtites. Itaq; nauis ſubito Famaguſtam deducta eſt, vt illic (quod opifices cæteraq; huic rei opportuna vrbs habeat) ſarciretur.

Fuit id quidem, & nautis & noſtro itineri non mediocri diſpendio & incommodo. Vbi cum aliquot diebus nauis lõgiore quidem mora, vt nobis videbatur, reficeretur, tandemq; perfecta eſſet, aliud accidit incommodũ. Nam prior nautarum, qui vela cæteroſq; nautas naucleri vice regit, à magiſtratibus captus in carcerem conijcitur.

ijcitur. Poſt dies aliquot emiſſo carceris loco vrbis ambitus præſcribitur. Tandem cum apud magiſtratum multi intercederemus, tam peregriniquam alij, datis vadibus ſe rediturum, ac iuri ſententiæque ſtaturum, dimiſſus eſt. Multam quidem moleſtiam nobis viginti duo dies, quibus in Cypro ſubſtitimus, attulere, quod tempus idoneum nauigationi deſiderādo tereremus. Huc periculum accedebat, ob ingentes huius inſulæ fereq; mortiferos calores: multi enim è noſtris vehementer ac propè deſperatè egrotabant. Sed quid ageres? Sic res ferebat, æquo animo ſuſtinere oportebat. Supputantur à Creta Nemoſiam vſque, primam Cypri vrbem, ad quam venimus, miliaria ſexcenta, vel vt quidam volunt, plura. Hinc recta Ioppen verſus curſus erat dirigēdus: cæterum ob nauem quaſſam Salinas nauigamus ad 50000. paſſuū. A Salinis ad Famaguſtam totidem miliaria. Noſtrorum vero plerique, quod

non

non tuta nauigatio videretur, terra, eo quo diximus itinere, Famaguſtam venimus. Naui refecta, omnibus com paratis, 17. Kalend. Septemb. paulo ante ſolis ortum, læti alacreſq; à Famaguſta oram ſoluimus, pridie è portu, duabus cymbis adminiculãtibus, naui educta, ac ſub cœnam Salinas reuerſi ſumus. Hic in nauim noſtram 26. peregrinos variarum nationum, plures tamen inferioris Germaniæ & Hollandiæ, admiſimus, qui alia naui 24. diebus poſt nos Venetijs ſoluerant. Decimo ſeptimo die Auguſt. à Salinis diſceſsimus, orto iam ſole, vẽtoq; mediocri aſpirante. Poſtridie eo iam inualaſcente Cyprus obtutibus noſtris ſubtrahitur. Decimo quarto Kalend. Septemb. in altum mare deductis, etiam cæteræ inſulæ totaque terra continens euaneſcunt, iamque, iuxta Poëtam, cœlum vndiq; & vndique pontus. Die inſecuto veſpere terram ſanctã eminus videre cœpimus, etſi eſſent qui ſtatim à prandio vidiſſe ſe affirmarent.

Cęterum quamuis terræ tamdiu optatæ vicini eſſemus, multumq; ob peregrinationis dimidium laborem iam exantlatum ſinguli gauderemus, ſubitò tamen, vt aſſolet in humanis ſucceſsibus, extremam gaudij partem luctus occupauit. Nam Ioãnes de Lamboy Traiectenſis Brabantus, ex ſodalitio noſtro ætate minimus, ac in flore iuuentutis, neq; enim annum 22. excedebat, repente & velut ex improuiſo ſub cœnam defunctus eſt, cum ea hora quæ præceſsit eius obitum, ſatis alacer loquendo, & quod eſt animaduerſum, ſubridendo videretur. Hic in Creta nõ nihil languoris cõtraxerat. Acceſsit quod ob victum potumque largiorem ac intemperãtem, quibus feruens ætate indulgebat, neque ſitim, quam vehementes caloris excitabant, ęquius ferret, propemodũ ſuffocatus eſt: qui præter morem Iuuenum, magna omnium admiratione, placida morte tranquillaq; animã exhalauit. Huius corpus prima noctis vigilia

Vnus peregrinorum in naui defunctus.

Sepultura defuncti.

vigilia linteo inuolutum, ac lapidibus appenſis degrauatum, quo ad ima deſcenderet, à nautis iniicitur in profundum. Itaq́; quantumuis propinquus terræ ſanctæ, nec viuus tamen nec mortuus hanc attigit. Nos poſt cœnam iam terræ continenti exoptatæ propinquantes ac lætitia exultãtes, canticum Te Deum laudamus, & Salue regina cecinimus. Ad hæc preces pro defuncto, vt moris eſt Chriſtiani, exoluimus. Verum, quoniam nimium ad dextrã flexeramus, regionis ac littorum rudes & ignari, ne forte ſcopulis, oræq́; ignotæ nauem illideremus, (nec enim nautarum quiſquam ad hæc loca antea venerat) ſub noctis crepuſculum anchoris iactis ea nocte quieuimus.

CAPVT. VII.

DVODECIMO Kal. Septemb. leuatis ancoris, ſecundũ litus nauigantes, ſub prandium

Ioppe prima paleſtinæ vrbs. Ioppen, primam vrbem Paleſtinæ, Dei gratia adiuuante, applicuimus. Hic ad 1000. paſſus à portu iactis anchoris conſedimus. Paulo poſt Nauclerus cum aliquot è ſuis conſcenſa ſcapha Ioppen ſe cōfert, literas Guardiano Minoritarum montis Sion inde miſſurus, vt is aduentu peregrinorum præſidi Hieroſolymitanæ vrbis indicato, facultateq́ nobis ad terram deſcendēdi impetrata, ſimul miſſo ex more comitatu, de omnibus certiores nos faciat. Neq́ enim abſq́ litteris, quas ſaluum conductum vocant, tutum cuiquàm pede terram contingere. Nauclerus igitur ſalutato gubernatore Ioppes, hominem cum Turcis aliquot Iudæis ac Mauris, in nauim noſtram deducit, atq́ excipit pran-*Turcæ prandentis ritus.* dio, qui de more Turcarum, ſolus calceis exutis, humi contractis tibijs reſidens, ſatis honeſtè in prandio ſe gerebat: alius vero Mauritanus genere, pręterquam quod inter prandendum potabat egregiè, etiam nonnunquam

hilarior

hilarior cantillabat. Sumptis epulis, ac prandio finito, calceisq́ rurſum in pedes inductis, cum ſodalitio Gubernator abſcedit. His ita actis, cum otioſi nos eſſemus, ne nihil ageremus, aſtātibus cunctis vectoribus, defuncti hereditatem in formam inuentarij redigentes, etiam nonnulli noſtrum, tanquam teſtes, nomina ſubſcripſimus. Sed quia inteſtatus deceſſerat, Nauclerus vniuerſa bona, etſi nonnullis reclamātibus, penes ſe retinuit: erant autem pecuniæ ſatis multæ & aliæ res præclaræ, vt moris eſt peregrinorum, præſertim diuitum, in quibus & hic erat.

Vigeſimo ſecundo Augu. die otioſi expectabamus non ſine tædio, quòd nauis hic inde ventis immodicè agitata multis alioqui debilibus ſtomachi nauſeam, aliasq́ ægritudines concitaret. Die inſequente ſub auroram, Thomas Ianſeos de Gande, 30. annos natus, Hollandus, ex poſteriore ſodalitio (etſi nobiſcum in peregrinatione *Mors alterius peregrini.*

Lauretana adfuerat) fere ijſdem de cauſis, quibus prior, defunctus eſt, largiore potu ſcilicet: qua re in his regionibus periculoſius vix quicquam eſt. Hic confirmato teſtamento, quod domi confecerat, rebusq́ȝ quas penes ſe habebat, quibuſdam peregrinorū datis, commendatisq́ȝ, ſatis trāquillè ſpiritum exhalauit. Eo die Nauclerus mirum quendam piſcem, qualem ſe antea nunquam vidiſſe affirmabat, mihi oſtendit, ſupra caput ſiue in occipitio quaſi clypeum habentem, vt natura ei caput armauiſſe videatur. Veſpere eiuſdem diei alius ex eodem ſodalitio, poſteriore ſcilicet, Hollandus quoq́ȝ Iacobus Bauende Varmen 48. annorum ætatis, cum morbo ac morte luctans (erat enim corporis conſtitutione fere omnium robuſtiore) tandem ęgritudinis vi ſuperatus, naturæ legē exoluit. Hic quoq́ȝ teſtatus deceſsit. Sanè ſibi ipſe malum ac interitum temeritate accerſiuit. Etenim cū ſodalis eius in extremis verſaretur, eumque

Piſcis rara forma.

Tertij peregrini mors.

prope ſe morientē conſpiceret, accepto ſcypho vino pleno (adeo naturæ ſiue potius cōſuetudini prauæ iſti indulgent) eum exhauſit. Vno itaq; die duobus defunctis, qui paulo ante mortem ſani robuſtiq; valuerant, cū neq; manifeſti periculi, ſiue potius peſtis, finis eſſe videretur, non exiguus pauor ac trepidatio multorum animos conturbauit, prȩſertim vbi multi omnis generis homines, tum boues aliaq; pecora paruo admodum vaſe naueq; cōtineremur. Itaq; alij iam teſtamenta ſcribere ſignareq;, alij dictare, mortique improuiſæ ſeſe præparare. Sub cœnā vtrumq; cadauer mari iniectū eſt, alterum cum veſtibus, in quibus deceſſerat, alterum ne veſtium iactura fieret aliter feretro incluſum. Ita & hi, quamuis priore defuncto terrȩſanctæ viciniores eſſent, ad eam non peruenerunt. Hoc rerum ſtatu cum ſolito triſtiores iam cænaturi eſſemus, ecce tibi Guardianus Hieroſolymitanus ſuperuenit, qui plurimum

horna, ficus, angurias cæteraque fru-ctuum genera, panem, et oua tam Chri ſtiani quam Turcę incolæ venalia adferebant. *Turcarum inſolentia.* Turcæ interim vinum cum vaſculis, aliaq́; vt pecuniam oſtenſam ligamina, cultellos, arte aut vi ſurripiebant, nec his quidem cõtenti, nos, & ambulantes, & humi proſtratos, prætereuntes alapis cædebant, quorũ ego ferè primus fui. Veſperi Præfectus, vniuerſorum peregrinorum nominibus diligenter conſcriptis (qui vniuerſi eramus 67. ſupputatis aliquot mulierculis peregrinis) ipſe dormitum ſe cum ſuis contulit. Nos vero ſingulos eligentes, remque noſtram itineri vtcunque præparantes, reliquum tempus quieti dare volebamus: verum id ſine incommodo fieri vix poterat: quoniam inter dormiendum & aſini & ceteræ res nobis obſeruandæ erant. Media itaque fere nocte aſcenſis aſinis circa matutinum crepu-*Rama.* ſculum Ramam peruenimus 10000. paſſu. ibique in ædibus, maximis quidem

dem (locorum habita conſideratione) cæterum aliqua ex parte vetuſtate conſumptis, ſatis commodè morabamur. Has quondam à Rege Franciæ quodam inchoatas, poſtea à Duce Burgundiæ in peregrinorum vſum perfectas ferunt. Huc omne genus commeatus abundè præter vinum ab incolis allatum eſt; eo in hoſpitio. 8. Kalend. Septembr. meridianum æſtũ ſatis commodè euitauimus, oppidum fere totum ruinoſum eſt, ita tamen vt inter ruinas ipſas caſulæ quãpluresincolis non deſint, eſt enim is locus omnium terræ ſanctæ, quos quidem nobis videre licuit, quaſi fertiliſsimus amæniſsimuſque. Dubium mihi nullum eſt, oppidum illud fuiſſe olim ſplendidiſsimum, diuitijſque refertum, ac ſatis amplum: cuius rei argumento eſſe poſſunt ruinę domuſque collapſæ, aliaque nonnulla, quæ ibi conſpeximus, præter cætera palmæ dactylorum feraciſsimæ ſunt, proceris in arboribus magna vi

earum,

earum,ingentium botrionum inſtar,à vertice mire dependentiũ. Ab eo oppido 2000. paſſu. ad ſiniſtram eſt lo-
S. Georgius. cus qui à ſanct. Georgio ibi obtrũcato nomen ſortitum nunc aſſerunt, cum
Lydda. olim Lydda vocaretur: ibi Æneas 8. añis paralyticus à Petro ſanatus erat, vnde diuum Petrum, Eccleſias circũeuntem, Ioppen vocarunt, ob mortem Tabythæ, aliàs Dorcadis, quòd non multum itineris eò eſſet: iſq; veniens oratione habita illam à mortuis ſuſcitauit, vitæq; reſtituit, vt in fine 9. cap. Act. Apoſt. Porro à Rama hora nona diſceſsimus, & ad arcem Machabeorum venimus, ibiq; apud fontem aliquantum quietem cepimus, 10000. paſſ. Cæterum 7. Kalen. Sept. ſub diei crepuſculum ſoluimus, aſperius iam iter ingredientes (nam à littore marino hactenus & amæna & fertiliſsima planicies eſt, hinc Hieruſalem vſq; montibus ſaxoſis, vallibuſq; aſperrimis parum admodum fertilioris terræ interiacet) ad locum à Propheta

pheta Hieremia denominatum perue‑
nimus 11000. paſſ. vbi templo ruino‑
ſo ſatis amænus fons adiacet, cuius
gratia & nos illic ientaculum (vino
noſtro iam deficiente) celeriter ſum‑
pſimus. Deinde aſperrimo montano‑
que itinere procedẽtes, in medio qua‑
ſi itineris caſtellum Emaus, diuinis *Emaus.*
celebratum litteris 2000. paſſ. à ſini‑
ſtra oſtenderunt.

CAPVT VIII.

ITAQVE tandem hora meri
diana ad Hieroſolyma opta‑
tiſsima peruenim⁹. 9000. paſ.
ibi mœnia à dextris circumeuntes,
in montem Syon aſcendendo, apud
Minoritas conſedimus. Nunc extra
mœnia cœnobium hoc ſitum, cũ olim
tamen & mons Syon totus & circum‑
iacentia, oppido incluſa eſſent (Regię
enim ædes Dauidis monti huic ſuper
inſtructæ erant, vbi nunc Franciſca‑
norum habitatio eſt) Cœnobitis itaq;

peregrino‑

peregrinorũ pedes ſubito lauantibus, interꝗ lauandum prę gaudio pſallentibus, ſatis humaniter excipiebamur: qui ſtatim prandium vniuerſis peregrinis opiparum exhibuere: quo peracto, gratiaꝗ omnipotenti habita, Guardianus oratione habita hunc ferè in modum diſſeruit. Duplici de cauſa peregrinos Hieruſalem aduentare ſolere, primò, optimo Zelo quoſdam adduci, terram ſanctam, quam Chriſtus proprijs pedibus calcauit multaꝗ illic ad ſalutem fidelium operatus eſt, tantũ religionis gratia inuiſendi: deinde quoſdam eſſe cupidos multa peragrandi, plurimarumꝗ rerũ habẽdi notitiam (cum Ariſtotele teſte omnes natura ſcire deſideremus) qui hanc peregrinationem ideo potiſsimum ſuſcipiant.

Cæterum ſe minime dubitare nos deuotionis cauſa adeſſe: itaꝗ ſe ſuadere vt quo commodius certiuſꝗ intentioni morem geramus, SS. ſepulchrũ cæteris cũ locis ſanct. dingnius maioriꝗ

riq; fructu adeamus, Confeſsione vetus fermentum expurgemus, ſecundũ D. Paulum, electis confeſſoribus pro arbitrio noſtro, qui nos ab vniuerſis peccatis delictiſq; abſoluant, excepta falſificatione bullarum Apoſtolicarum, ſicq;, intercedente benignitate diuina, digniores ſacratiſsimum domini corpus in ſalutem animarum ſumamus. Cæterũ cum populus Chriſtianus bipartitus ſit, ſcilicet Eccleſiaſtici & ſeculares, ſacerdotes vniuerſos, vt priores, cũ paucis nobilibus in monaſterio moraturos; libentius vniuerſos peregrinos ſuſcepturũ ni loci anguſtię id vetarent impedirentq; cęteros vero in ædib9 Annę, in vrbe penes mœnia, ſatis cõmodè, loci religioniſq; conſideratione habita, futuros: ſed quo cõmodius id fiat, vnicuiq; ſingula ſtragula puluinariaq; prębiturũ: omnibus autem peregrinis vinum panemq; abundè à conuentu ſuppeditatũ iri; cæterum autem victũ nos emere debere, coquum eorũ ſingula in eſum commodum

commodũ compoſiturũ. Deniq́ con-ſuetudinis eſſe, vt tria conuiuia vni-uerſis peregrinis exhibeantur, pri-mum quando eo conueniunt, alte-rum cum Iordanẽ, vel vallem Hebron petituri ſunt, tertium cum diſcedunt. Se ergo primũ exhibuiſſe, noſq́ ſum-mopere orare vt boni conſulamus: quicquid vero ſingulis vel moleſtiæ vel negotij acciderit indicemus, roga-re: ſe enim omnibus nobis patrẽ quo ad defendendum, fratrem autẽ quoad familiaritatem fururũ, factaq́ verbis his reſponſura haud dubiè promittit. Quæ certe ſingula, vt promiſit, præ-ſtitit, & verbis facta non ſolum æqua-uit, ſed etiam ſuperauit. Nam cum no-ſtrum nouem vno in cubiculo intra cænobij ſepta ſatis commodè morare-mur, cæterum res moleſta eſſet, ſingu-la ad victum ſpectantia in oppidi ma-cello admodum longinquo compara-re, præſertim & linguæ & morũ bar-barorum imperitis, & propterea à Do-mino Guardiano petijſſemus, vt is co-

meatum

meatum noſtrum & emeret, & ſingula quæ in victum noſtrum vſui forent ſuppeditaret, nos omnia ante abitum cōpenſaturos, benignus annuit, nóſque humanè comiterque ſemper tractauit, aliquoties cibum nobis ſumentibus adfuit, quò certius cognoſceret quid edendum proponeretur, frequenter inculcans, vt ſiquid deeſſet, illi haud grauatè indicaremus, ſe curaturum ſingula vt ex animi ſententia cedant, ſaltem quantū loci iniquitas permitteret. Itaque affatim nobis omnia à Cœnobitis allata ſunt, vt nullam prorſus conquerendi occaſionem haberemus. 6. Kalen. Septem. Guardianus Naucleruſque cum aliquot noſtrum ad præſidem Hieroſolymitanum (qui vulgo eorum lingua Saniacus vocatur) ſub veſperam profecti ſunt, illique dona more conſueto obtulerunt. Is in domo Pilati morabatur, quem in atrio diuaricatis tibijs, tapetibuſque humi ſtratis inſidentem caſu reperimus, ſtipatoribus ſiue famulis eius partim ſuo mo-

Lauretana adfuerat) fere ijſdem de cauſis, quibus prior, defunctus eſt, largiore potu ſcilicet: qua re in his regionibus periculoſius vix quicquam eſt. Hic confirmato teſtamento, quod domi confecerat, rebusq́ quas penes ſe habebat, quibuſdam peregrinorũ datis, commendatisq́, ſatis trãquillè ſpiritum exhalauit. Eo die Nauclerus mirum quendam piſcem, qualem ſe antea nunquam vidiſſe affirmabat, mihi oſtendit, ſupra caput ſiue in occipitio quaſi clypeum habentem, vt natura ei caput armauiſſe videatur. Veſpere eiuſdem diei alius ex eodem ſodalitio, poſteriore ſcilicet, Hollandus quoq́ Iacobus Bauende Varmen 48. annorum ætatis, cùm morbo ac morte luctans (erat enim corporis conſtitutione fere omnium robuſtiore) tandem ęgritudinis vi ſuperatus, naturæ legẽ exoluit. Hic quoq́ teſtatus deceſsit. Sanè ſibi ipſe malum ac interitum temeritate accerſiuit. Etenim cũ ſodalis eius in extremis verſaretur, eumque

Piſcis rara forma.

Tertij peregrini mors.

prope

prope ſe morientē conſpiceret, accepto ſcypho vino pleno (adeo naturæ ſiue potius cõſuetudini prauæ iſti indulgent) eum exhauſit. Vno itaq; die duobus defunctis, qui paulo ante mortem ſani robuſtiq; valuerant, cũ neq; manifeſti periculi, ſiue potius peſtis, finis eſſe videretur, non exiguus pauor ac trepidatio multorum animos conturbauit, pręſertim vbi multi omnis generis homines, tum boues aliaq; pecora paruo admodum vaſe nauéq; cõtineremur. Itaq; alij iam teſtamenta ſcribere ſignareq;, alij dictare, mortique improuiſæ ſeſe præparare. Sub cœnã vtrumq; cadauer mari iniectũ eſt, alterum cum veſtibus, in quibus deceſſerat, alterum ne veſtium iactura fieret aliter feretro incluſum. Ita & hi, quamuis priore defuncto terrę ſanctæ viciniores eſſent, ad eam non peruenerunt. Hoc rerum ſtatu cum ſolito triſtiores iam cænaturi eſſemus, ecce tibi Guardianus Hieroſolymitanus ſuperuenit, qui plurimum

nos refecit, ac recreauit, quod nos ab hac ceu cuſtodia, ac carcere maritimo, litteras afferens ſalui conductus, liberaret. Is nos comiter ſalutans benignè excepit, vir perhumanus, natione Venetus, ac veneranda canitie, inſigniq; religione vt nō indignū, comunere, quo fungitur habitus moreſq; declarent. Hic & cœnauit & dormiuit nobiſcū, quo nos in craſtinum è naui educeret, atq; ad iter ducem ſe nobis præberet. Nondum enim aſini, ſatellites, cōductoreſq; omnes venerant, tāetſi aliquos iam adeſſe aſſeuerarent.

Terræ ſanctæ deſcriptio. Porro vt ad Terræ ſanctæ deſcriptionem rudiore quidem ſtylo, quam qui tantę materię conueniat, me conferā, ad litus maris mediterranei ſatis amęna planicies, campiq; aperti ſunt, tametſi eminus montes facilè cōſpiciantur. Itaq; 9. Kal. Sept. cū adeſſent iām vniuerſi conductores, Subaſsinus Ramæ (ſic enim præſidem appellare ſolent) aliquod alijs cōductoribus Turcis ſtipatus, nauim conſcendit, vbi cū qui-

quidam inter prandendum plus ſatis genio indulſiſſet, nos ſumpto prandio res noſtras compoſuimus, & Ioppen petiuimus. Quo in loco nunc præter duas turres, 20. forte paſsibus diſtãtes littori (ob portus defenſionem) vicinas & coniunctas, nil niſi ruinas videres, quæ ſatis indicant oppidum olim non ſolum magnũ & ſplendidum, ſed etiam fortiſsimũ ac celeberrinum fuiſſe, quod ſacræ litteræ cõfirmant, cum aiunt Ionã illinc ſoluiſſe vt Tharſum peteret, à DEO tamen omnipotente prohibitum, Niniue profectum, vt videre licebit cap. 1. & 2. Ionę. Eodem in loco Simon ille coriarius, eximius D. Petri hoſpes, moratus fuit viſionemq́ pulcherimam gentibusq́ ſalutiferam vidit D. Petrus, vt Actuũ Apoſtolor. 10. & 11. cap. habetur. Illic portui ſatis maligno fornices tres ſemirutæ adiacent, quibus ſtabulorum vice incolæ vtuntur; eò & nos ingreſsi, quo commodius pomeridianos æſtus euitaremus. Cæterum affatim poma granata,

Ioppe olim ſplendida, nunc miſera.

 horna,

horna, ficus, angurias cæteraque fru-
ctuum genera, panem, et oua tam Chri
ſtiani quam Turcę incolæ venalia ad-
Turcarum inſolentia. ferebant. Turcæ interim vinum cum
vaſculis, aliaq́; , vt pecuniam oſtenſam
ligamina, cultellos, arte aut vi ſurri-
piebant, nec his quidem cōtenti, nos,
& ambulantes, & humi proſtratos,
prætereuntes alapis cædebant, quorū
ego ferè primus fui. Veſperi Præfe-
ctus, vniuerſorum peregrinorum no-
minibus diligenter conſcriptis (qui
vniuerſi eramus 67. ſupputatis ali-
quot mulierculis peregrinis) ipſe dor-
mitum ſe cum ſuis contulit. Nos vero
ſingulos eligentes, remque noſtram
itineri vtcunque præparantes, reli-
quum tempus quieti dare volebamus:
verum id ſine incommodo fieri vix
poterat: quoniam inter dormiendum
& aſini & ceteræ res nobis obſeruan-
dæ erant. Media itaque fere nocte aſ-
cenſis aſinis circa matutinum crepu-
Rama. ſculum Ramam peruenimus 10000.
paſſu. ibique in ædibus, maximis qui-
dem

dem (locorum habita conſideratione) cæterum aliqua ex parte vetuſtate conſumptis, ſatis commodè morabamur. Has quondam à Rege Franciæ quodam inchoatas, poſtea à Duce Burgundiæ in peregrinorum vſum perfectas ferunt. Huc omne genus commeatus abundè præter vinum ab incolis allatum eſt; eo in hoſpitio. 8. Kalend. Septembr. meridianum æſtũ ſatis commodè euitauimus, oppidum fere totum ruinoſum eſt, ita tamen vt inter ruinas ipſas caſulæ quãpluresincolis non deſint, eſt enim is locus omnium terræ ſanctæ, quos quidem nobis videre licuit, quaſi fertiliſsimus amæniſsimuſque. Dubium mihi nullum eſt, oppidum illud fuiſſe olim ſplendidiſsimum, diuitijſque refertum, ac ſatis amplum: cuius rei argumento eſſe poſſunt ruinę domuſque collapſæ, aliaque nonnulla, quæ ibi conſpeximus, præter cætera palmæ dactylorum feraciſsimæ ſunt, proceris in arboribus magna vi

earum,

earum,ingentium botrionum inſtar,à vertice mire dependentiū. Ab eo oppido 2000. paſſu. ad ſiniſtram eſt lo-
S. Georgius. cus qui à ſanct.Georgio ibi obtrūcato nomen ſortitum nunc aſſerunt, cum
Lydda. olim Lydda vocaretur: ibi Æneas 8. añis paralyticus à Petro ſanàtus erat, vnde diuum Petrum, Eccleſias circūeuntem, Ioppen vocarunt, ob mortem Tabythæ, aliàs Dorçadis, quòd non multum itineris eò eſſet: iſq; veniens oratione habita illam à mortuis ſuſcitauit, vitæq; reſtituit, vt in fine 9. cap. Act. Apoſt. Porro à Rama hora nona diſceſsimus, & ad arcem Machabeorum venimus, ibiq; apud fontem aliquantum quietem cepimus, 10000. paſſ. Cæterum 7. Kalen. Sept. ſub diei crepuſculum ſoluimus, aſperius iam iter ingredientes (nam à littore marino hactenus & amæna & fer tiliſsima planicies eſt, hinc Hieruſalem vſq;, montibus ſaxoſis, vallibuſq; aſperrimis parum admodum fertilioris terræ interiacet) ad locum à Pro-
pheta

pheta Hieremia denominatum perue-nimus 11000. paſſ. vbi templo ruinoſo ſatis amænus fons adiacet, cuius gratia & nos illic ientaculum (vino noſtro iam deficiente) celeriter ſumpſimus. Deinde aſperrimo montanoque itinere procedẽtes, in medio quaſi itineris caſtellum Emaus, diuinis celebratum litteris 2000. paſſ. à ſiniſtra oſtenderunt. *Emaus.*

CAPVT VIII.

ITAQVE tandem hora meridiana ad Hieroſolyma optatiſsima peruenim⁹. 9000. paſ. ibi mœnia à dextris circumeuntes, in montem Syon aſcendendo, apud Minoritas conſedimus. Nunc extra mœnia cœnobium hoc ſitum, cũ olim tamen & mons Syon totus & circumiacentia, oppido incluſa eſſent (Regię enim ædes Dauidis monti huic ſuper inſtructæ erant, vbi nunc Franciſcanorum habitatio eſt) Cœnobitis itaq;

peregrino-

peregrinorũ pedes ſubito lauantibus, interq́; lauandum prę gaudio pſallentibus, ſatis humaniter excipiebamur: qui ſtatim prandium vniuerſis peregrinis opiparum exhibuere: quo peracto, gratiaq́; omnipotenti habita, Guardianus oratione habita hunc ferè in modum diſſeruit. Duplici de cauſa peregrinos Hieruſalem aduentare ſolere, primò, optimo Zelo quoſdam adduci, terram ſanctam, quam Chriſtus proprijs pedibus calcauit multaq́; illic ad ſalutem fidelium operatus eſt, tantũ religionis gratia inuiſendi: deinde quoſdam eſſe cupidos multa peragrandi, plurimarumq́; rerũ habẽdi notitiam (cum Ariſtotele teſte omnes natura ſcire deſideremus) qui hanc peregrinationem ideo potiſsimum ſuſcipiant.

Cæterum ſe minime dubitare nos deuotionis cauſa adeſſe: itaq́; ſe ſuadere vt quo commodius certiuſq́; intentioni morem geramus, SS. ſepulchrũ cæteris cũ locis ſanct. dingnius maio-

riq́;

riq; fructu adeamus, Confeſsione vetus fermentum expurgemus, ſecundũ D. Paulum, electis confeſſoribus pro arbitrio noſtro, qui nos ab vniuerſis peccatis delictiſq; abſoluant, excepta falſificatione bullarum Apoſtolicarum, ſicq;, intercedente benignitate diuina, digniores ſacratiſsimum domini corpus in ſalutem animarum ſumamus. Cæterũ cum populus Chriſtianus bipartitus ſit, ſcilicet Eccleſiaſtici & ſeculares, ſacerdotes vniuerſos, vt priores, cũ paucis nobilibus in monaſterio moraturos: libentius vniuerſos peregrinos ſuſcepturũ ni loci anguſtię id vetarent impedirentq;: cęteros vero in ædib⁹ Annę, in vrbe penes mœnia, ſatis cõmodè, loci religioniſq; conſideratione habita, futuros: ſed quo cõmodius id fiat, vnicuiq; ſingula ſtragula puluinariaq; prębiturũ: omnibus autem peregrinis vinum panemq; abundè à conuentu ſuppeditatũ iri; cæterum autem victũ nos emere debere, coquum eorũ ſingula in eſum commodum

commodũ compoſiturũ. Deniq; conſuetudinis eſſe, vt tria conuiuia vniuerſis peregrinis exhibeantur, primum quando eo conueniunt, alterum cum Iordanẽ, vel vallem Hebron petituri ſunt, tertium cum diſcedũt. Se ergo primũ exhibuiſſe, noſq; ſummopere orare vt boni conſulamus: quicquid vero ſingulis vel moleſtiæ vel negotij acciderit indicemus, rogare: ſe enim omnibus nobis patrẽ quo ad defendendum, fratrem autẽ quoad familiaritatem fururũ, factaq; verbis his reſponſura haud dubiè promittit. Quæ certe ſingula, vt promiſit, præſtitit, & verbis facta non ſolum æquauit, ſed etiam ſuperauit. Nam cum noſtrum nouem vno in cubiculo intra cænobij ſepta ſatis commodè moraremur, cæterum res moleſta eſſet, ſingula ad victum ſpectantia in oppidi macello admodum longinquo comparare, præſertim & linguæ & morũ barbarorum imperitis, & propterea à Domino Guardiano petijſſemus, vt is commeatum

meatum noſtrum & emeret, & ſingula quæ in victum noſtrum vſui forent ſuppeditaret, nos omnia ante abitum cõpenſaturos, benignus annuit, nóſq; humanè comiterq; ſemper tractauit, aliquoties cibum nobis ſumentibus adfuit, quò certius cognoſceret quid edendum proponeretur, frequenter inculcans, vt ſiquid deeſſet, illi haud grauatè indicaremus, ſe curaturum ſingula vt ex animi ſententia cedant, ſaltem quantũ loci iniquitas permitteret. Itaq; affatim nobis omnia à Cœnobitis allata ſunt, vt nullam prorſus conquerendi occaſionem haberemus.
6. Kal. n. Septem. Guardianus Naucleruſq; cum aliquot noſtrum ad præſidem Hieroſolymitanum (qui vulgo eorum lingua Saníacus vocatur) ſub veſperam profecti ſunt, illique dona more conſueto obtulerunt. Is in domo Pilati morabatur, quem in atrio diuaricatis tibijs, tapetibusq; humi ſtratis inſidentem caſu reperimus, ſtipatoribus ſiue famulis eius partim ſuo mo-

more ſedentibus, partim ſtantibus; cuius Scriba vniuerſorũ peregrinorum denuo ſcripſit nomina. E cuius aula pulcherrimus ſanè proſpectus eſt verſus eximium Salomonis templum, atriumq́ſiue curiam ampliſsimã, porticibus pulcherrimis circundatam: & quamuis ſecundum Ioſephũ ter ferè funditus deſtructũ templum hoc ſit, tamen ſatis elegans, non magnum admodum, 8. in angulos, circulari ferè ſuperficie, magna pulcherrimaq́ in curia conſtructum eſt. Cum itaq́ Pręſes animaduerteret nos quaſi attonitos circumſpicere, verſuſq́ templum viſum dirigere, dixit, vt diligentius ſingula videremus, non deeſſe enim etiam Turcas, qui 100. ducatos libenter exponerent, quo vel tantũ in Salomonis templum introſpicerent quantum nunc nos. Eſt enim & hodie res regia: vnde quid olim rebus integris fuerit, vtcunq́ conijci poteſt. Cęterum poſtquã inter Præſidem, & nos ſingulis de rebus cõuenerat, præconẽ
miſit,

miſit, qui primò ipſis in ædibus, deinde tõtum per oppidum diuulgaret, ne quis ciuium aliorumue quitquã iniuriæ moleſtiæue peregrinis vniuerſis ſingulisue adferret, ſubpœna maxima arbitrariaq;. Re itaq; confecta verſus montẽ Syon redeuntes, à dextra Guardianus domũ Herodis 40. paſ. diſtantẽ oſtendit, quo dominus noſter à Pilato miſſus, indeque veſte alba indutus & ludibrio habitus, remiſſus erat. Domus Herodis.
Aliam item domunculam prorſus ruinoſam, vbi dominus flagellatus: nec longè hinc in fornice ad huc exiſtente, Chriſtũ flagellatum à Pilato oſtenſum Iudęis afferunt, cum diceret, Ecce homo, quo corda plus quã ſaxea moueret: illi vero pertinaces acclamabãt. Tolle &c. quę vox ad huc ad perpetuã rei memoriam lapidibus illic inciſa manifeſtè apparet. Hi duo poſtremi loci ædibus Pilati contigui fuiſſe conuincuntur, præſertim cum totũ oppidum olim fornicibus conſtructũ fuerit, propter ſolis feruorẽ, quod ruinæ

ſuperſtiteſque domus ſatis demonſtrant, cum aliquæ plateæ hodie ſint, hæcꝗ; mercibus frequentiores, in quibus & à pluuia & à ſolis æſtu tutus obambules: deſuper enim teſtudinibus fornicibuſq; coopertæ ſunt, raris tantum foraminibus hinc inde relictis. Inde non longè Regem Regum morti damnatum, matri Virgini obuium factum aiunt ad lapidem ingentem, qui in monaſterio montis Syon cathedrali altari impoſitus nunc eſt: eamq; pre maximo dolore omnibus viribus deſtitutam, ſemimortuam collapſam eſſe. Deinde venimus ad triuium vbi Simonem illum Cirenenſem coegerunt crucis nimium onus (dominum adiuuando) ad caluariæ montem portare: qui Simon à dextra venerat, cum ſiniſtram verſus illi eundem eſſet. Domus illic propinqua oſtenditur, vbi mulierculis Domini mortem plangentibus Saluator dixit, O filiæ Hieruſalem flete ſuper vos & ſuper filios veſtros. Nec longe abeſt porta nunc

non peruia, qua CHRISTVS crucem baiulans vrbē egreſſus eſt verſus Caluariæ montem: cum hodie tamē mœnibus incluſus ſit. Deinde ędes diuitis illius epulonis, qui biſſo veſtitus ſplēdidè epulabatur quotidie, Lazarus autem, &c. Hinc progrediendo aliquantulum, oſtenſa nobis fuit domus Simonis leproſi, in qua Magdalena Dominum aromatibus pręcioſiſsimis perfudit, veniam peccatorum conſecuta, nonnullis tamen diſcipulorum ægrè ferentibus; quanuis ſint qui dicant id alia in Simonis domo, Bethaniæ vicina, peractum fuiſſe, de qua poſtea dicemus. Vidimus quoq; portam ferream qua D. Petrus vinculis carceribuſq; (inter cuſtodes angelo eum excitante educenteq;) liberatus à Domino, vrbem exiuit, ad domum Marci pulſans, tandem cognitus intromiſſus eſt, quæ & ipſa oſtendebatur nobis, vt in Actor. Apoſtol. cap. 12. Deinde ad montem Caluariæ peruenimus; qui cum ſacroſancto ſepul-

Domus Epulonis.

Domus Simonis Leproſi.

Porta ferrea.

Mons Caluariæ.

chro cęteriſq; dominicę paſsionis mi- ſterijs, à D. Helena templo tum magno eximioq; tũ pretioſsimo olim (quamuis nunc in ruinam vergat) incluſus, circundatuſq; fuit, extrinſecus duo ſacella illi contigua ſunt, dextrum diuæ Virgini matri, ſiniſtrum vero Ioanni virgini Euangeliſtæque conſecrata: quod ijſdem in locis ſtantes Dominum in cruce pendentem, proque humano genere morientem viderint, illicq; ab eodem ſtrictiore amicitiæ vinculo copulati ſint. Eodem vero die templum non intrauimus, quod ſemper clauſum, nõ niſi tributum ſoluentibus ſit peruium: nos autem vniuerſi commodius poſtea intromittebamur. Itaq; in montem Syon reuerſi ibi à cœna, intra ſtadium quaſi, oſtenderunt nobis plurima myſteria diuerſis actibus multum inſignia, ſcilicet, vbi S. Iacobus minor in Epiſcopum Hieroſolymitanum electus ab Apoſtolis erat, creſcente iam Eccleſia: item locum muro circundatum, vbi Vir-

go Mater obijt: extra macenein ad lapidem, alium vbi defunctam (vt tunc moris erat) vnxere, ſepulturæq́ pręparauere: Item vbi ſors ſuper Matthiam cecidit, vt in Apoſtolum crearetur: deinde vbi CHRISTVS diſcipulos in vniuerſum dimiſit mundum, Euãgelij prædicandi gratia. Item domum Cayphæ ſoceri Annæ, in quam dominus captus, primo, vt veriſimile eſt, per torrentem Cedron mœnia circumiens inductus eſt, quo minor tumultus excitaretur in populo: nec longè enim à mœnijs aberat, hodie vero mœnijs excluſa eſt, penes quam MARIA ſtetiſſe fertur filij exitum finemque mæſtiſsima expectans, hinc ſupra oppidum mons Olìueti facillime apparet: item locus cauernoſus vbi Dauidem Regium Prophetam pſalmos compoſuiſſe dictorumq́ pœnitentiam egiſſe, ferunt. Item vbi ſanctus Stephanus cum Gamaliele &

Abibon primo ſepultus erat, vt in vita eius habetur: illic quoq; agnum paſchalem aſſatum aiunt. Cæterum in valle, monti Syon ab occidente adiacenti, piſcina ingens eſt, vbi Berſabeã lauantẽ Dauid Regijs ex ædib⁹ ſuper eminentibus, facile videre potuit. Porro cœnaculum illud eximium, vbi dominus vltima cœna diſcipulis corporis ſui mirabile ſacramentum exhibuit, deinde pulcherrimo exemplo pedes eorum lauit: item alius locus nunc tecto carens, vbi ſpiritus ſanctus Apoſtolis fuit miſſus: vterq; horum monaſterio contiguus, imò iniunctus eſt; attamen (heu noſtra ſæcula infelicia) à Turcis, vt pleraq; alia, occupantur ac poſſidentur, vt monachis peregriniſue non niſi noctu furtim clandeſtineque pateat ingreſſus. Ipſo enim in cœnaculo oratorium (quod ipſi muſcea vocant) habent; eſt præterea ſepultura Dauidis itidem contigua, *Sepultura Dauidis.* 15. pedibus longa, 4. autem lata, proceraque altitudine, templo ſubterraneo

neo incluſa, quo ſoluta pecunia à Turcis intromiſsi fuimus. 5. Kalend. Septem. poſt preces matutinas, audita re diuina in ſanctiſsimo cænaculo, monaſterium egreſsi ad 2. fere ſtadia locum mœnijs vicinum extrinſecus oſtenderunt, vbi Iudæi ſepulturam Mariæ ſemper virginis impedire interturbareq; conantes, manus ambæ cuiuſdam violentius iniectæ ſubitò exaruiſſe feruntur, cæterum diſcipulorum oratione priſtinæ ſanitati reſtitutas, hinc circa 3. ſtadia vbi S. Petrus pœnitentiam auſteram egit ob ternam Domini negationem, fleuitq; amare, ad tria ſtadia intra mœnia vrbis templum ſiue muſcea Turcarum nunc eſt ſatis eximia ſtructura, in quo olim diua virgo Maria fuit præſentata literaſque didiciſſe fertur, dicunt præterea vnum ex porticis Salomonis fuiſſe, quod illius templo ferè iungatur: hinc vltra torrentem Cedron oſtenditur locus ad 2. ſtadia, vbi Iudas ob peccati magnitudinem de-

G v ſperans

ſperans, laqueo mortem ſibi cõſciuit: ad ſunt cauernoſa habitantibus ſatis ob calorẽ opportuna, hęc eſt illa vallis Ioſaphat, quã torrens Cedrõ interluit vbi dominum tremendo iudicio omnem hominem iudicaturum piè credimus. Item locus vbi Iacobus minor ob domini captiuitatem mortemq́ contriſtatus, promiſerat ſe non eſurum, niſi prius à mortuis reſuſcitatum dominum vidiſſet, illicque Chriſtus illi apparuiſſe ſtatim poſt reſurrectionẽ fertur: cæterum ad torrentem venientes domini veſtigia lapidi duriſsimo impreſſa ſatis manifeſtè vidimus, vbi dominus tranſiens Cedron de torrente in via bibit. Huic loco vicinum eſt

Sepultura Abſolonis. monumentum Abſolonis in ipſius ſepulturam ædificatum, cæterum Deo Opt. Maximo aliter viſum fuit quod patri contrarius eſſet. Itaque prætereundo caſu in arbore ſuſpenſus, vitam (vt filium inobedientem patri decebat) miſerè finiuit; ſicque nec mortuus hanc ad ſepulturam peruenit.

Ad dextram eſt domus Zacharię ſpelunca intrinſecus perquã ampla. Contiguum eſt ſepulchrũ Hieremiæ prophetæ eximia quidẽ & hoc ſtructura. Cęterũ verſus ſiniſtrã ad ſtadium aut vltra locus eſt Ietſemani dictus, vbi dominus, relinquens 8. diſcipulos vltra montem ad orandum progrediebatur. Stadio fere hinc abeſt hortus olíueti, in quo ſolitus erat orare dominus, hincq; tribus reliquis diſcipulis relictis, ſolus ad iactum lapidis ſegregatus, in locum cauernoſum deſuper perforatum deuenit, ibi patrem cœleſtem intimè extremeq; pro genere humano orans, ſanguinem ſudauit, cum paulò poſt à Iuda oſculo tradendus atq; à Iudeis capiẽdus eſſet 10. paſ. hinc templũ eſt ſubterraneũ ferè, obſcurumq;, in quod 48. gradibus deſcẽdimus (nam & hic quamuis à Turcis pro muſcea vſurpetur, angariola ſiue tributo ſolutis intromiſsi fuimus) vbi in medio quaſi deſcenſu ad dextram ſacellum eſt, in quo monumentum

Domus Zachariæ.

Sepulchrum Hieremiæ.

Locus Ietſemani.

Hortus oliueti.

tum diuæ Annæ, à ſiniſtris aliud, in quo Ioſeph mortuus requieſcere fertur, cæterum inferius ſepulchrum D. Virginis Mariæ, multis lampadibus ardentibus decoratum (nam ijs paſſim & Turcæ & Iudæi cum diuerſis Chriſtianis vtuntur) reperimus, etiam à Turcis infidelibusq; plurimum cultum honoratumq;: nam illic aliquot eorum in ipſo ſepulchro orantes in hæc verba audiuimus, illorũ idiomate ſæpiſsime repetẽtes, ſcilicet la ila la ilalci, quod interpretatur Deus eſt, & Deus erit, quæ vox non impia eſt, habent enim nonnulla religioni Chriſtianæ non admodum contraria, quũ Deum non negent, Chriſtum item vtcunq; confiteantur, cæterum Machumetem Dei dextram eiuſq; potentiam peruerſè aſſerunt, habentes eorum in lege pleraque impia paucis bonis admixtą: ſed ad propoſitũ reuertamur, tantum honoris huic loco etiam à Turcis defertur, vt peregrinos aliquot iterum huc intrantes atq; calceatis pedibus

Sepulchrum D. Virginis Mariæ.

Nemini calceato ſepulchrum D. Virginis ingredi licet.

bus ſolum calcantes verberibus cęderent, mireq; irati verbis vehementer increparent, dicentes, an non pudet vos Chriſtianos calceis indutos ſacrum hoc monumentum intrare, quod præſes Hieroſolymitanus ac ipſe Turcarum imperator ingredi niſi plantis nudis nunquam audent, ſacris itaq; peractis diſcedentes Hieruſalem verſus reuertimur, vbi non longè à mœnibus locus oſtenditur, vbi S. Stephanus prothomartyr lapidibus obrutus eſt. Inde ad 10. paſſ. locus alter, quo Saulus ſedens veſtimenta lapidantium cuſtodiuit. Qua ex re & porta ciuitatis denominationem accipiens S. Stephani appellatur, cuius ad læuam illa eſt celebris porta aurea, quam Saluator Dominica Parmarum cum intrauit à iudaico populo exceptus eſt, & honoratus, cum pſallentes, ramos ac veſtes in viam (honoris gratia) proſtrauerunt. Hanc portam auream hactenus Turcæ ſemper religioſè & clauſam & cuſtoditā habuerunt. *Porta aurea.*

Cæterum

Cęterum anno hoc, id eſt ante menſes ſex, ligneis portis ſubmotis, muro ne cui peruia deinceps ſit, obſtruxerunt. Portam D. Stephani ingreſsi ad dextram Piſcinam Probaticam vidimus, quam à ſiniſtri relinquentes ac mœnia obeuntes ad delubrum Saracenorum (Moſcham vocant) deuenimus, quo loco D. Ioachim ædes fuiſſe memoratur, ibidemque natam Domini matrem quidam putant.

Domus Ioachim.

CAPVT IX.

Templũ Salomonis.

DISTAT hinc ſtadijs tribus eximium magnificumq; templũ Salomonis, in quo ea Dominus noſter propter noſtram ſalutem eſt operatus, quę in ſanctis Euangelijs referuntur. Nos ad portam ſpecioſam conſiſtentes, templum, amplamque curiam huic circumiacentẽ vidimus, vbi in portis ſingulis, curiæq; valuis aliquod lichni ardentes pendent. Verum non niſi tenuiter ac veluti per tranſen-

tranſennam videre datũ, quod nemini niſi Turcis curiam hanc adeoq; templum ingredi fas eſt. Chriſtianis enim hæc forte ingreſsis aut moriendũ, aut fides Chriſti abneganda. Sanè ego quodam die eò veniens, quod aliquot gradibus aſcenſis portæ nimium propinquarem murmurantibus ęgreque ferentibus infidelibus nonnullo in periculo ſum verſatus. Ad hanc portam, Petrus Ioanneſque templum intraturi, claudum illum ex vtero matris ſuæ ſanauerunt, vt Actor: Apoſtolor. liber refert. Hinc non longè alia item porta eſt à dextris ingentem fontem habens, de quo ſcriptum eſt, vidi aquam à dextris templi. His actis domum reuerſi corpora cibo refecimus, cœna ſumpta ſacroſanctum templum ingredimur, poſtquam nomina ſingulorum, patriæque ac parentum cuſtodes ædis diligenter conſcripſerunt, qui & vbi intro nos admiſere, identidem templi fores occludentes, aſsidebant, neque vero promiſcuè

omnes

omnes admiſsi, quod quidam pauperiores pecuniam (nouem enim ducati à ſingulis exiguntur) nequaquã ſoluendo pares erant. Cæterum poſtea ferè omnes, inæquali tamen pretio, vt quiſq; cum ipſis potuit conuenire, fuerunt intromiſsi, vt paupertatis ratione quidam ſoluto aureo intrauerit. Itaq; congregati, religioneq; loci moti, in ſacello D. Virginis proceſsione ſiue ſupplicatione inchoata, ſingula ad myſteria decenti ordine proceſsimus, cantantes Salue regina &c. Id ſacellum cum adiacentibus ædificijs proprium eſt Minoritarum. In eodem ad 6. paſſ. vidimus partem columnæ, in qua innocens agnus pro nocentibus flagellatus eſt. Hinc magnum templum ingreſsis, ad 20. ferè paſſ. locus occurrit, vbi Chriſtus Magdalenæ in ſpecie formaq; hortulani, prohibens ne ſe tangeret, apparuit: 50 paſſ. dehinc ſacellum eſt, vbi Dominus tanquã cuſtodia detentus eſt, dum ſingula ad eius paſsionẽ parantur:

Columna ad quam flagellatus Chriſtus.

tur: 70. paſ. hinc vbi milites diuiſerũt ſibi veſtimenta: 63. paſſ. inde deſcendimus in ſubteraneã cryptam, in qua S. Helena Domini crucem, diligenter à perfidis Iudæis abſconditam, diligentiore induſtria inueſtigationeque inuenit: 12. paſſu. hinc aſcendens ſacellum habes S. Helenæ dicatum: ad 40. paſſu. progrediens locum vides, vbi Dominus ad columnam, ſpinea corona à militibus coronatur: 48. paſ. hinc ad Caluariæ montem aſcendimus, in quo morte turpiſsima, ſicut ſcriptum eſt, Dei filius condemnatus, humanum genus, quod perierat, ſaluum fecit: hic & crucis etiamnum apparent veſtigia: item ad dextram fiſſura petræ, quam tum factam, cum Dominus expirauit, non eſt vero abſimile. 38. paſſ. ſunt hinc ad locum, vbi dominus fuit vnctus, ſepulturæq́ de more Iudeorum præparatus, qui non longè ab ingreſſu templi abeſt: 40. paſſibus ab hoc ad venerandum Redemptoris ſepulchrum monumentumque

Vbi crux Domini reperta.

Vbi Spinea corona Domino impoſita.

Mons Caluariæ.

Petra ſciſſa.

Vbi vnctus ante ſepulturam Dominus.

Sepulchrum Domini.

peruenimus, de quo glorioſiſsime tertia die, non amplius moriturus, reſurrexit. Hoc monumentũ peculiariter ſupra dicti Minoritę poſsident, etſi ad id tam Turcæ quam Chriſtiani liberũ habent acceſſum. Sunt autem Chriſticolarum orientalium diuerſæ ſectæ, ac duodecim plus minus, quarũ cum differentias, cæremonias, articulos fidei ſcire deſiderarẽ, neminem reperi, qui doceret, & quandoq; demonſtraret, quod res perquam difficilis ſit, cũ occidentalis quoq; Eccleſia, quam latinam vocamus, diuerſis ritibus multum varijs locis diſcrepet, præſertim hoc noſtro, heu nimium infœlici, ſæculo. Itaq; id officij diligentioribus doctoribus relinquentes rem indicaſſe ſat habemus. Cæterum omnes hæ nationes, lingua quæq; ſua vernacula, ſummum Deum proprijs cæremonijs colunt, habentes ſingulos locos, domiciliaq; his cõiuncta, in ipſo templo, vt ſine intermiſsione ferè, nunc hi, nũc illi hic verſentur. Tum vero temporis

Orientalium ſectæ.

poris

ris 6. in vniuerſum aderant nationes, quod aliæ ad propria rediiſſent, ſuis temporibus reuerſuræ. Primi Latini ſunt, qui præter ſepulchrum ſacellumque, mediam ferè partem montis Caluariæ obtinent, dextram verſus. Secundi Græci chorum templi occupant. Tertij Georgiani aliam habent montis Caluariæ partem, vbi verę dominicæ paſsionis ſunt reliquiæ veſtigiaq;. Quarti Armenij poſsident ſacellũ ſancto ſepulchro imminens. Quinti Syrij (quos vulgo Surianos vocãt) & hi aliud ſacellum eidem ſepulchro vicinũ tenent. Sexti Abiſsini, id eſt, Æthyopes presbyteri Ioannis, qui aliud ſacellum pone ſepulchrũ, ſortiti ſunt. Hi omnes habitacula plerunque contigua, magno tamen templo incluſa habent, quibus ſatis cõmodè diu noctuq; deuotionis gratia immorantur. Hic cum pernoctaſſemus, 4. Kalend. Septem. ſub prandium, templo, rebus diuinis peractis, communioneque ſumpta, egredimur. Inter eundũ

Latini. *Græci.* *Georgiani.* *Armenij.* *Syrij.* *Abiſsini.*

in aſcenſu montis Syon oſtendêre nobis angulum eminentem præ cæteris ædificijs, vbi Chriſtus, tribus Marijs apparuit, dicens, Auete, deinde abiuimus ad locum vbi S. Iacobus maior, frater Ioannis, Herodiano obtruncatus eſt gladio, nunc templum Chriſtianorum Abiſsinorum, ſatis pulchrum, in quod & nos intromiſsi ſumus.

Vbi S. Iacobus obtruncatus.

CAPVT X.

TERTIO Kalen. Sept. ſub auroram conſcenſis aſinis per montana Iudeæ proficiſcentes primum eò venimus, vbi vnum è lignis ſanctiſsimæ crucis plantatum creuit: illic templum cœnobiumque eſt Armeniorum: hinc ſeptentrionem verſus, 4000. paſſ. emenſis, vidimus ruinas, vbi S. Ioannes Baptiſta: natus fertur: templũ ſatis eximium olim fuit, verum nunc, vt pleraque alia, in equorum ſtabulum eſt conuerſum, ibi pater Zacharias ob incredulitatem mutus

Vbi S. Baptiſta natus.

mutus factus, deinde locutus, infante circumciſio, canticum Benedict. Deus Iſraël. decantauit. Ad ſtadium hinc montana illa ſunt, quæ Virgo ſcandens cognatam Eliſabeth viſitauit: & hic quoq; templum fuit, cæterũ nunc tecto caret, ac ruinæ propinquum eſt: hinc item 2000. paſſ. fons eſt inſignis, ad quem S. Ioannes Baptiſta in ſpelunca ſupereminente pœnitentiam per quinquennium egit in deſerto. *Vbi Baptiſta pœnitentiam egit.*

Ad 3000. paſſu. alius fons eſt, vbi S. Philippus obuium Eunuchum Candacis Reginæ poſt interpretationem Prophetæ Iſaiæ aliarumq; ſcripturarũ baptizauit. Deinde ad ſolis ortũ pergentes, ad Bethlehem ciuitatem Iudę, ſiue Dauid contendimus 4000. paſſ. itinere, vbi Dominus natus, vbi præſepio reclinatus, vbi primum paſtoribus, deinde Magis ab oriente profectis eſt monſtratus. Cæterũ plus 1000. paſsibus confectis in planiciem ſatis pulchram (vt his in regionibus) deuenimus, vbi & veſtigia templi ædi- *Fons in quo Eunuchus Candacis Reginæ baptizatus.* *Bethlehem.*

ficijq́; eximij hodie ſuperſunt, & hac cauſa extructi, quòd illic paſtoribus gaudium verè magnũ, ſcilicet Deum in carne mortali apparuiſſe, ab Angelis nunciatum ſit. Itaque redeuntes Bethlehem, in medio quaſi itinere ſacellum dirutum vidimus, vbi angelus Ioſeph, vt aſſumpto puero IESV matreque eius in Ægyptum ob Herodis iram ſecederet, admonuit. Cæterum 14. paſſu. prope cœnobium in Bethlehem, ſpecus eſt ſatis intrinſecus ampla, ſtrictiore tamen ingreſſu, in qua Virgo mater infanſque IESVS aliquot diebus latuiſſe referuntur, donec in Egyptum tutò proficiſcerentur, in qua cauerna quòd dominum lactaret, lac ſparſiſse creditur, ex quo & terra illa cætera aliquanto candidior apparet: mulieribus ſanè cum lacte deſtituuntur, conferre dicitur ac mederi, ideoque peregrini puluerem hinc ad domos ſuas referunt. Porro in Bethlehem tam cœnobium ipſum Minoritarum, quam templum

Specus, in qua Virgo mater & puer Ieſus latuerunt.

50. columnis marmoreis eximia ſtructura ingentiq́; ſumptu erectum, à S. Helena confecta ſunt. Templi ſanè fornices, picturæ, aureæ litteræ, tam græcæ quam latinæ decorant: pauimentum autem marmore pretioſiſsimo conſtratum eſt, & vndequaque mirum in modum olim (vt facile apparet) excelluit: cæterum nunc partibus multis ruinoſum, vergenſq́; in ruinam, cauſaque in promptu, quòd olim Chriſtiani principes plura quam hódie has in ſtructuras impendere conſueuerint. Ante annos à Duce Burgundiæ plumbeis laminis tectũ reſtauratumque fuit: at nunc iterum plurimis in locis pluuijs eſt peruium, vt nouo aliquo Duce ac Principe illi ſimili indigeat. Sub choro crypta eſt, in qua eſt altare erectum ipſo in loco, in quo MARIA virgo IESVM fudit infantem. Prope altare ad dextram, & præſepe ipſum cernis, in quo Rex regũ inter duo animalia reclinatus eorum halitu aduerſus iniurias hyemis,

Templũ Bethlehemiticũ à S. Helena conſtructum.

Locus in quo Maria virgo Chriſtum peperit.

Præſepe Domini.

frigoriſq; moleſtias eſt recreatus: item in vltimo ſacelli angulo, foramē oſtenditur, vbi ſtellam (quæ tribus Magis eò proficiſcentibus iter monſtraret) diſparuiſſe aiunt. Hic itaque pernoctantes perhumaniter à monachis ſuſcepti ſumus. Hinc pridie Kal. Sept. poſt mediam noctem, meridiem verſus, per montana Iudeæ proficiſcentes, ad vallem Hebron, & vallem Mambre deuenimus: ibi prope fontem quēdam pranſi ſumus. A prandio in medio quaſi vallis, agrum Damaſcenum (nunc feraciſsimis vitibus conſitum) vbi primus homo Adam à Domino creatus dicitur, intrauimus. Terram hanc lōginquas in regiones tam cauſa fertilitatis quam ſalutis deferri, magnoq; venire ſunt qui aſſerunt: hinc in collem ſupereminentem aliquot paſsibus aſcendimus, vbi Abraham tribus viſis vnum adorauit, illiſq; ſub quercu victum protulit, quū ad ſubuerſionem quinque ciuitatum irent. 200. paſſ. hinc piſcina eſt ſanè eximia,

Vallis Hebrō & Mambre.

Ager damaſcenus.

Vbi Abraham tres vidit & vnum adorauit.

in

in qua Abrabã Deo immolaturus ſacrificaturuſq; primo ſe lauiſſe dicitur: quem morem diligenter hodie & infideles obſeruant, qui cum corpora extrinſecus lauarint, ſe ab omni peccati labe immunditiaq; lotos arbitrantur. Hinc 40. paſſ. diſtant monumenta ſepulchraq; quatuor, ſcilicet, Abraham, Iſaac, Iacob, & Saræ: quem locum duplicis ſpeluncæ à filiis Emor 100. agnis in ſepulturæ vſum Abraham emit. Quæ ſepulchra magno in pretio à Turcis habentur, vt eò è longinquo deuotionis cauſa peregrinationem ſuſcipiant, nam & nobiſcum plurimæ fœminæ à Bethlehem candẽ ob religionem proficiſcebantur. Cæterũ etſi olim, ac paucis etiam ab hinc annis, vniuerſi Christiani huc nemine prohibente ingrederentur, tamen nec hodie paſsim intrant, nec nos quantumuis pecuniam offerremus, fuimus intromiſsi. Cauſam equidem afferre huius rei aliam non poſſum, niſi quod nos indignos arbitran-

Sepulchra Abraham, Iſaac, Iacob, & Saræ.

tur, qui ad ſacra antiquiſsima monumenta hæc intromitti debeamus, nam & delubra Muſceaſque ſuas etiam noſtro ingreſsu pollui conſpurcarique arbitrantur. Eo in loco, præter has eximias ſepulturas, eximio quidem ædificio temploque circundatas, iuxta eſt pagus eodem nomine, oppidulo ſimillimus, niſi quod mœnibus caret, quem olim longè ſplendidiorem fuiſſe, ſpectanti ſingulaque luſtranti vero videtur non abſimile: & adhuc ſatis celeber eſt ędificijs contiguis, inſuperque fornicibus vitis ipſis inumbratis. Eadem in valle Abel à fratre Cain occiſus, primaque vitis à Noe plantata memoratur. Hæc vallis & maior vniuerſis eſt, quæ in Iudæa ſunt, & fertilior amœniorq́, omnium rerum ferax, ac frequenti habitatore populoſa. Sanè quod in ſanct. ſcripturis montana Iudeæ paſsim legimus, eoque vocabulo terra ſancta appellatur, id non immerito factum eſt, cum montoſa ſaxoſaque ſint ferè omnia: nihil-

Vbi Abel occiſus.

Terra ſancta montoſa & ſaxoſa, fertilis tamen.

nihilominus tamẽ fertiliſsima: ſed ſtri
ctiſsimę valles interiacent, ita vt hinc
inde in glareis etiam & vineta amæ-
niſsima, & cætera fructuum genera
abundè creſcant. Nam ſi ſaxis rude-
ribuſque terræ hæ humana induſtria
liberarentur, quantumuis inæqua-
les collibuſque accliues ſint, haud du-
biè operam impenſaſque mira ferti-
litas compenſaret. Sunt tamen quæ-
dam adeo petroſa, vt ne diligentiſ-
ſimisquidem agricolis ceſſura ſint, ſed
quod dicitur oleum & opera in his
perdatur. Cum itaq; Bethlehem ver-
ſus obliqua via ad dexteram reuer-
teremur, 1000. paſſu. confectis, ad
ſpeluncã ſubterraneam deuenimus,
vbi aiunt Adam 100. annis pœniten-
tiam peccatorum egiſſe, alij vero to-
tidem annis filij mortem deplanxiſſe.
Porro cum 3000. paſſu. à Bethle-
hem abeſſemus, à dextra fontem re-
perimus, qui in piſcinas pulcherri-
mas influens, deinceps labens per
conuallem, regios hortos irrigat,
locus

locus ſanè amœnus vereque regius. Hinc noctis ipſius crepuſculo Bethlehem reuertimur. Kal. Sept. in illo celeberrimo ſacrario ſacelloq́ue Miſsis aliquot peractis auditiſq́ue, in templo ſiue ſacello D. Catharinæ ſacro, ſupplicatione inſtituta, ad locum ſubterraneũ deſcendimus, in quo olim S. Hieronymus fuit ſepultus: ibi quoq́ue alterum eſt ſepulchrum S. Paulæ viduæ Romanæ nobiliſsimæ, quæ ob deuotionem religionemq́ue eius diſcipula nuncupatur. Huic loco contiguum D. Euſebij monumentũ oſtenditur, eiuſdem Hieronymi diſcipuli: his item locis annexa eſt bibliotheca, in qua doctiſsimus ſanctiſsimuſque Hieronymus Bibliæ libros è lingua græca in latinam maxima diligentia multoq́ue labore tranſtulit: hinc ad monumentum Innocentium venimus: quę omnia ſubterranea ſunt cauernoſaq́ue, vt interdiu vix niſi viarum peritis aut lumina habentibus ſint peruia. Deinde in templum ipſum conſcendimus, vbi

Templum D. Catharinæ.

Sepulchra S. Hieronymi & S. Paulæ.

Monumentũ D. Euſebij.

Monumentũ SS. Innocentium.

vbi ad dextram chori puer IESVS factus ſub lege primitias ſanguinis, dũ circuncideretur, effudit: inde ad ſiniſtram eiuſdem chori tria ſunt altaria, quæ in honorẽ trium Regum, ad perpetuam rei memoriam, conſtructa ac dedicata ſunt. Hic veſtigia ſerpentis horrendi oſtenduntur, qui ante annos 30. Soldanum, tabulas marmoreas è templo illo aſportantem, inque vſum ſuum Chairum transferre molientem, ab impio propoſito horrendo viſu impetuq́ deterruit: hodie tamen maior pars huius precioſi marmoris eo in templo deſideratur. Deniq́ in ſancta ſanctorum ingreſsi venerandã Domini natiuitatem ſanctumq́ præſepe adorauimus. A prandio Hieruſalem rectà itinere 5000. paſſ. reuertentes, in via, duobus ferè à Bethlehẽ ſtadijs, Dauidis ciſternam conſpeximus, è qua cum milites aquam hauſtã attuliſſent, ille Domino libans bibere noluit, ne ſanguinem virorum illorum, qui capitis ſui periculo attulerant,

Vbi Chriſtus circumciſus.

Dauidis ciſterna.

2. Reg. 23.

rant, bibere videretur: eam itaque in diuini ſacrificij vſum vertit. Ad 3. ſtadia hinc ſepulchrum Rachel eſt à ſiniſtra iuxta viam, à dextra verò muri diruti ruderaque multa eminus cernes, quod olim mœnia Bethlehem eò vſque vlteriuſque procederent: locus hodie paucis domicilijs ijſque ſemirutis penè deſertus. Vltrà ad duo ſtadia, ædium Iacob ruinæ conſpiciuntur: 4. ſtadijs hinc alij Heliam natum aſſerunt, alij ſub iunipero obdormientem & experrectum, ad caput panem ſubcinericium cum vaſe aquæ reperiſſe, cum admonitus eſt ab angelo vt comederet, quia magna ei via ſupereſſet: cœnobiũ nunc Græcorum eſt, cum templo ſatis eximio, quem ad locum ac vineam adiacentẽ, cum aliquot nebulones prædandi cauſa his diebus acceſsiſſent, re infecta, ac non ſine ſanitatis iactura diſceſſere: quorum quidem vnum adhuc ſuperſtitem, cæterum mirè languentem ac vix ſemiuiuum perpetuo lecto affixum

Sepulchrum Rachel.

3. Reg. 19.

fixum aiunt. Ad ſtadium hinc domus eſt Abacuc Prophetæ, quem Dominus per Angelum apprehenſum pilo capitis ad Danielem prophetam in Babylone inter Leones ſub ſpecu clauſum miſit, cum is meſſoribus ſuis pulmenti alueolum præparaſſet. Inde non longè ciſterna quoque olim triplex, nunc in vnam redacta, vbi ſtellam ac ducem iterum tribus regibus cum Hieruſalem, Bethlehem petituri, exiſſent, apparuiſſe aiunt. Item in medio itinere arbor Therebinthus, ſub qua Virginem matrem à Hieroſolymis Bethlehem euntem & redeuntem requieſcere ſolitam dicunt: hinc ad ſiniſtram eminus vides domum Simeonis, cæteris aliquanto adhuc integriorem, cui, ſecundum diuinum oraculum, datum, Dominum, vlnis complecti ac dicere, Nunc dimittis ſeruum tuum Domine &c. Huc vſque mœnia Hieroſolymitana olim ſeſe extendebant, cum hodie 2000. paſſu. abſint. Nos in cœnobium ſancti

Domus Abacuc.

Dan. 14.

Matth. 2.

Therebinthus.

Domus Simeonis.

Luc. 2.

Franciſci reuerſi, quamuis nonnihil ex itinere defatigati, quieſcere non potuimus: Saniacomus nobis ſequendus erat, qui cuſtodiæ noſtræ ac tutelæ cauſa iam Iordanem verſus profectus erat, quod ingentia tum temporis ab Arabibus nunciarentur nobis pericula, quæ quidem vt non omnino falſa ſunt, quod interdum nonnullos peregrinorum illi palantes ac itinera occupantes capiunt, ita mea ſententia metum periculumque exaggerantes Turcæ augent, quo hoc ſub prætextu maius commodum capiant, tributumq; grauius à peregrinis exigant. Id quod & nonnulli Chriſtiani faciunt principes, quos cum curare dareque operam oporteret, vt tutæ viæ ab infeſtationibus latronum eſſent, non modo peregrini equites pediteſque, verum etiam merces ipſæ, ſi tuto ſunt perferendæ, præſidio ac pace publica data, iter habent.

CAPVT XI.

CÆTERVM nos 4. nonas Sep. orto iam ſole conſcenſis iumentis, ad Iordanē cœpimus proficiſci, itinere interpolato, quod conductoribus noſtris ientandum eſſet. Soli expoſiti æſtuiq́;, per monticulos, colles, valles (ſuis temporibus ſatis turbida paſcua) nunc aſcendendo, crebriustamē deſcendendo, tandē in planitiem peramænam, atq́; ad fontem vberrimum peruenimus, vbi Heliſæus amaras atque ſteriles aquas in bonas vertit, vt 4. libro Regum capite 2. ſacra refert hiſtoria. Hic vrbs Hierico in primis fertilis, ſana, amæna, quamquam nunc omnia ruinoſa ſint. In medio Hierici arx cernitur, quam Zachei fuiſſe domum aſſeuerant. 28000. paſſ. Porro ad fontem Heliſei (qui eminus ortus in montibus longô ductu ad vrbem deuoluitur) Saniacomum ſuo ſatellite ſtipatum, ſub arboribus humi ſendentem.

Fons Heliſei.

Vrbs Hierico.

Domus Zachei.

noſq; expectantem inuenimus. Quare honoris cauſa (vt moris eſt) in terram deſcendentes eum ſalutauimus, deq; fonte bibentes, rurſuſq; aſinos cōſcendentes recta per egregiam planitiem ad Iordanē deuenimus, 8000. paſſ. Cæterum citra, ad tria fere milia, monaſterium eſt S. Ioannis Baptiſtæ, ſimile arci dirutæ, muris ſuperſtitibus, vbi ad ripam Iordanis præruptam ſatiſque propoſito noſtro iniquam nos conductores noſtri deduxerunt: nihilominus tamen plurimi lauimus, quorum aliqui & nando fluuium placidiſsime fluentem traiecimus: & quamuis ſtrictiori alueo includatur, tamen profundior apparet, ſuiſque temporibus exundare videtur. Hîc animos noſtros religio ſubijt, quod illud flumen videremus, in eoque lauaremur, in quo Dominus à famulo præcurſoreq; ſuo Ioanne Baptizari voluit, cum Spiritus ſanctus in forma columbæ in caput eius deſcendens, eum oſtendit, voxq;

Iordanis.

Monaſterium S. Ioannis Baptiſtæ.

Matth. 3.

voxque Patris è cœlis apertis audita eſt, quæ diceret, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite. Ab vtraque Iordanis ripa pulchra admodum planities apparet, eminus tamen cernitur & mons Carmelus eximia longitudine altitudineque, in cuius iugis verticibuſque mare verſus (ad mediterraneum enim mare, Galileam partim circundans, mons hic percurrit) Iordanis fontes ſimul atque origo: qui inter ſeptentrionem ortumque oblique in meridiem tendens, tandem in mare mortuum euoluitur. Nos etſi ad mare hoc non peruenimus, facile tamen vidimus, cum etiam prope Hieroſolyma quibuſdam locis, ſereno die, eminus ſimul conſpiciatur cum monte Carmelo. Porro vbi nunc mare illud (quod iuſtius laci nomen ſibi vendicaret, cum in longitudine 80000. paſſuum, in latitudine 12000. vix contineat) olim quinque præclaræ

Mons Carmelus.

Mare mortuum.

Gen. 19. vrbes fuerunt, quæ ob peccata nefanda & enormia merito à domino funditus deletæ, & æterna ſtrage damnatæ ſunt. Cæterum quod quidam de bitumine maloq; huius odore ſcribunt, nec probare nec reprobare poſſum, quod plus 4000. paſſ. abfuerimus. Citius autem æquo nobis redeundum fuit, ſicque idem iter menſi ad prædictum vſque fontem, deinde dextram

Vbi Chriſtus tentatus. Matth. 4. petentes ad radicẽ montis, vbi CHRISTVS 40. diebus ieiunauit peruenimus, in cuius verticem à dęmone tentatore ſublatũ eſſe Dominum, aiunt. Sed nos cupientes in cacumen aſcendere, imminens nox ab incepto deterruit, cum medium montem plus minus aſcendiſſemus. Hic apparent

Ieiuniũ quadrageſimale. ſpecus quædam, in quas Chriſtiani orientales quadrageſimæ temporibus, aſſumpto vili comeatu veſtituq; ſe cõferunt, quò Chriſti exemplo eodem in loco ieiunio ſe macerent. Nox ergo redire nos ad dictum Saniacomum cõpulit, qui eodem in loco nos expectan-

ctans morabatur. Sanè venientes, eſurientes, ſitientesq́ ferè ſecunda noctis vigilia cænauimus, cum à ientaculo, eoq́ iniquo, nihil ediſſemus, nec tempus quidem vllum reficiendi ob miram feſtinationem ſupererat. Humi itaq́ ſub dio proſtrati, duabus fortaſſe horis quieuimus, iniq́ ſatis & miſerè, puluere autem (cum ob calorem, tum ob multitudinem hominum quadrupedumq́) mirè curciabamur. 3. non. Sept. tertia noctis vigilia, hinc priſtino itinere Hieruſalem verſus profecti, ſtatim poſt ſolis ortũ eò peruenimus. Inter equitandum, medio quaſi itinere, domum oſtendêre, in qua ſuperiori anno peregrinos ſpoliatos ab Arabibus aſſerebant. Ego vero cum ſomnolentior mulo inſiderẽ, improuidusq́ aliquantiſper Maurum è conductoribus peditibuſque vnum attigiſſem, aut alias ſua opinione æquo vicinior eſſem, ab eodem arcu cæſus, ſuſcitatus fui (cõductores enim tam pedites quã equites erant: hi qui-

dem bombardis, velociſsimis equis inſidentes, vtebantur: illi vero ſeminudi naturali celeritate, arcubus, & referta ſpiculis pharetra armabantur) Vtriuſque generis in vniuerſum circa 20. erant, exceptis mulionibus, quorum maior pars Chriſtiani erant inermeſque, quorum ſimilis ferè numerus erat. Eo igitur die domi quieuimus, cum ob inediam ſitimque, tum quòd propter magnitudinem itineris (quòd 24. horis circa 80000. paſſ. confeciſſemus, idq; ſummo calore) plurimum defatigati eſſemus. Pridie nonas Septem. in vallem Ioſaphat deſcendendo, ad fontem ſub terraneum deuenimus, in quo Virgo MARIA Domini linteamina ſæpius lauiſſe dicitur: deinde ad dextram diuertentes, ad natatoriam Siloe venimus, vbi CHRISTVS cœcũ natum illuminauit. Olim res ſanè eximia fuit, nos vero Maurũ coriarium illic artem ſuã exercentem reperimus. Hinc medij ſtadij itinere ad locũ peruenimus, vbi

Vallis Ioſaphat.

Natatoria Siloe.

vbi Eſaías Propheta arbori incluſus per medium ſecatus fuit. 2. ſtadijs abeſt ager ille Acheldemach ſiue figuli, 30. denarijs pretio ſanguinis in peregrinorum ſepulturam emptus, cui vſui & hodie inſeruit: adſunt enim ſpecus maximæ ſubterraneæ, deſuper apertis foraminibus, quibus defunctorum cadauera inijciuntur, quorũ nonnulla & nos per dicta foramina inſpicientes videbamus. Alijs duobus ſtadijs diſtat domus (nunc mali concilij nuncupata) in qua cum de occidendo Domino conſultarent Principes ſacerdotum, Iudas ſuperueniens de tradendo CHRISTO 30. denarijs pactus eſt. Domus hæc olim mœnibus continebatur, cum huius ruinę nunc plus 4. ſtadijs ab ijſdem abſint: hinc domum reuerſi. Cęterum eodem die maturius ſolito cænantes, denuo ſanctum templum cęnati intrauimus, illicq; pernoctantes ſingula diligentius inuiſimus. Porro nonis Sept. ſub auroram dominus Guardianus, rebus

Ager Acheldemach.

Domus mali concilij.

diuinis in ſacrario ſanctiſsimi ſepulchri deuotiſsimè peractis, auditiſque, quàtuor noſtrum de peccatis confitentes magna ſolemnitate pulchriſq; cæremonijs militari ordine ſancti ſepulchri inſigniuit: deinde altera vice ſupplicationem prædictam deuotiſsime iterantes, repetenteſq;, ſub prandium templo exiuimus. Articulos vero cum ordine, quo milites ſanctiſsimi ſepulchri creari ſolent ſanctiſsimè, hîc ſubiungere operæ pretium viſum eſt.

CAPVT XII.

De modo ac ritu creandi Milites ſepulchri Domini noſtri Ieſu Chriſti.

ANTE omnia igitur ordinandus Miles præparet ſe ad deuotionem, vt valeat percipere gratiam officij ſacræ militiæ, ac premiſſa confeſsione, auditaq; miſſa, &

percepta dominica communione, intromittatur in atrium ſanctiſsimi ſepulchri, & tunc incipiatur iuxta modum qui ſequitur. Primo, congregatis omnibus intra ſanctiſsimum ſepulchrum, cantetur hymnus, ſcilicet.

Veni creator ſpiritus &c.

Deinde, Emitte ſpiritum tuum etc.

Reſponſio.

Et renouabis &c.

Domine exaudi &c.

Oremus.

DEVS qui corda fidelium ſancti ſpiritus &c.

Deinde interrogari debet à Patre Guardiano, Quid quæris?

Reſponſio, flexis genibus.

Quæro effici miles ſanctiſsimi ſepulchri Domini noſtri IESV CHRISTI.

Interrogatio.

Cuius conditionis es?

Reſponſio.

Nobilis genere, & parentibus generoſis natus.

Interrogatio.

Habes, vnde honeſtè conſeruare poſsis ſtatum, & militarem dignitatē, abſq; mercibus, & arte mechanica?

Reſponſio.

Habeo Dei gratia bonorum ſufficientem copiam.

Interrogatio.

Iuramenta Militibus præſtanda.

I. Es ne paratus corde & ore iurare pro virili militaria ſacramenta, eaque ſeruare quæ ſequuntur? Primo; Miles ſanctiſsimi ſepulchri omni die opportunitate habita Miſſam audire debet.

II. Secundo, cum neceſſe fuerit, bona tēporalia & vitam exponere debebit, ſcilicet, quando eſt bellum vniuerſale contra infideles, & venire in propria perſona, vel mittere idoneum.

III. Tertio eſt obligatus ſanctam Dei Eccleſiam, & eius fideles miniſtros, ab eorum perſecutoribus defendere, & pro viribus liberare. Quar-

Quarto, debet iniuſta bella, turpia ſtipendia & lucra, haſtiludia, duellum & huiuſmodi (niſi cauſa militaris exercitationis) omnino vitare. IIII.

Quinto debet pacem & concordiã inter Chriſti fideles procurare, Rempublicam exornare & augere, viduas & orphanos protegere, iuramenta execrabillia, periuria, blaſphemias, rapinas, vſuras, ſacrilegia, homicidia, ebrietatẽ, loca ſuſpecta, & perſonas infames, atq; vitia carnis vitare, & tanquã peſtem cauere, & ſe apud Deum hominesq; irreprehenſibilem exhibere, ac etiam verbo ac facto ſe dignum tanto honore demonſtrare, Eccleſias frequentando, & cultum diuinum augmentando. Queratur ergo, ſi eſt paratus corde & ore hæc omnia proteſtari, iurare, & facere. V.

Reſponſio.

Ego N. &c. profiteor, & promitto Deo IeſuChriſto, et B. virg. Mariæ hæc omnia pro virili me obſeruaturum.

His peractis benedicatur enſis à Guardiano

Guardiano ſecundum formam inferius poſitam, ſi non eſt alias benedictus: ſed ſi benedictus eſt, vel poſt benedictionem, vocato vno ordinandorum, & genu flexo ante ſanctiſsimum ſepulchrum, Guardianus ponat manus ſuper caput eius, & dicat, Et tu. N. eſto fidelis, ſtrenuus, bonus, & robuſtus miles Domini noſtri IESV Chriſti, & ſanctiſsimi eiuſdem ſepulchri, qui te cũ electis ſuis in gloria ſua collocare dignetur, Amen.

Calcaria inaurata. Hoc finito Guardianus porrigit militi calcaria inaurata, quæ pedibus ſuis accommodabit in terra exiſtens. Poſtea dat enſem nudum Chriſti militi, dicens, Accipe. N. ſanctum gladiũ in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, Amen. (ter ſignum crucis exprimens) & vtaris eo ad defenſionem tuam, & ſanctæ Dei Eccleſiæ, & ad cõfuſionem inimicorum crucis Chriſti, ac fidei Chriſtianæ, & quantum humana imbecillitate poteris, eo neminem iniuſtè lædas: quod ipſe præſta- *Enſis.*

re di-

re dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Deinde enſis in vaginam reponitur, & à Guardiano prędicto enſe cingitur, dicendo, Accingere N. gladio tuo ſuper femur tuum potentiſsime, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & attende quod ſancti non in gladio ſed per fidem vicerunt regna. Enſe accinctus Miles ſurgit, & genibus nixis, inclinatoq; capite ſupra ſanctũ ſepulchrum à Guardiano ordinatur, percutiendo ter enſe prædicto ſcapulàs militis, & dicendo ter, videlicet,

Ego conſtituo et ordino te N. militem ſanctiſsimi ſepulchri Domini noſtri Ieſu Chriſti, in nomine Patris, & filij, & ſpiritus ſancti, Amen. faciens ter ſignum crucis.

Deinde oſculetur eundẽ, ponens more maiorum torquẽ aureum cum cruce pendente, in collo eius, & ordinatus deoſculetur ſanctũ ſepulchrũ, poſtea diſcedat & reſtituat omnia, & vocato

Torques aureus.

vocato alio, ijſdem cæremonijs in numerum militum ſancti ſepulchri cooptatur: ordinatus interim in atrio ſancti ſepulchri remaneat, quouſque omnes ad hunc honorem promouendi, ſint promoti.

Poſtquorum vel cuius ordinationem, Te Deum laudamus, &c. à monachis decantatur, & ad ſacellum fratrum minorum itur, vel ibidem ſtatur, pro vt voluerit vel ordinauerit Guardianus, deinde dicuntur hæc in ſingulari, ſi vnus eſt, ſi verò plures in plulari.

In ſingulari dicitur, Sponſus præ filijs hominum accingere N. &c. gladio tuo ſuper femur tuum potentiſsime: & ſi ſunt plures, dicitur in plurali.

Verſus.

Domine exaudi &c.

Reſponſio.

Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiſc. Et cũ ſpiritu tuo.

Oremus.

DA Eccleſiæ tuæ miſericors DEVS, vt

vt ſancto Spiritu congregata, hoſtili nullatenus incurſione turbetur.

OMnipotens ſempiterne DEVS ſuper hunc N. (vel hos) famulũ tuũ, qui eminenti mucrone circumcingi deſiderat, gratiam tuæ benedictionis infunde, eundemq́ dexterę tuę virtute munitũ fac contra cuncta aduerſantia cœleſtib' armari præſidijs, quibus nullis in hoc ſęculo tempeſtatibus bellorum turbetur. Per Dñm noſtrũ &c.

Ad extremũ amplectitur illum Guardianus, & alij, ſi qui volent.

Benedictio enſis.

Is qui benedicit, teneat enſem nudum ante ſe, & dicat, Adiutorium noſtrum in nomine Domini, &c.

Oremus.

EXaudi quæſumus Domine preces noſtras, & hũc enſem, quo ſe famulus tuus hic cingi deſiderat, maieſtatis tuæ dextra dignare benedicere, quatenus poſsit eſſe defenſor Eccleſiar. viduarum, orphanorũ, omniumq́ Deo ſeruientiũ contra ſęuitiam paganorũ,

aliјſq́

aliјſque ſibi inſidiantibus ſit terror & formido, præſtans ei æquè perſecutionis, & iuſtæ defenſionis effectum, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oremus.

BEnedic domine ſancte pater omnipotens æterne Deus per inuocationem nominis tui, & per aduentum Chriſti filij tui Domini noſtri, & per donum ſpiritus ſancti hunc enſem, vt hic famulus tuus, qui hodierna die, tua concedente pietate, præcingitur, viſibiles & inuiſibiles inimicos proſternat & conculcet, victoriaque potitus, maneat ſemper illæſus, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

BEnedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prelium, & digitos meos ad bellum, Miſericordia mea, & refugium meum, ſuſceptor meus & liberator meus, Protector meus & in ipſo ſperaui, qui ſubdit populum meum ſub me. Gloria Patri & Filio, &c.

Saluum

Saluum fac ſeruum tuum Domine.
Deus meus ſperantem in te.
Eſto ei Domine turris fortitudinis.
A facie inimici.
Domine exaudi orationem meam.
Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui cũcta ſolus ordinas, & rectè diſponis, qui ad coërcendam malitiam & improbitatem malorum, & tuendam iuſtitiam, vſum gladij in terris hominibus tua ſalubri diſpoſitione permiſiſti, & militarem ordinem ad populi protectionem inſtitui voluiſti, quiq; per beatum Ioannem militibus ad ſe in deſerto venientibus, vt neminẽ concuterent ſed proprijs ctenti eſſent ſtipendijs, dici feciſti, clementiam tuã ſuppliciter exoramus, vt ſicut Dauid puero tuo Goliad ſuperandi largitus es facultatem, & Iudam Machabæum de feritate gentium, nomen tuum non inuocantium

triumphare feciſti: ita & huic famulo tuo N. qui nouiter iugo militæ colla ſupponit, pietate cœleſti vires ac robur ad fidei & iuſtitiæ defenſionem tribuas; præſteſque ei fidei, ſpei, & charitatis augmentum, & tui timorem pariter & amorem, humilitatem, perſeuerantiam, obedientiam, & patientiam, cunctaque in eo recte diſponas, vt neminem cum gladio iſto vel alio iniuſte lædat, & omnia cum eo iuſta & recta defendat, & ſicuti ipſe de minori gradu ad nouum militarem prouehitur honorem, ita veterem hominem deponens cum actibus ſuis nouum induat hominem, vt te timeat, & recte colat, perfidorum conſortia vitet, & ſuam in proximum charitatem extendat, præpoſito ſuo in omnibus recte obediat, & ſuum in cunctis iuſte officium exequatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum Amen.

CAPVT XIII.

PORRO cum 8. idus Sept. ſub auroram in ſancto cœnaculo Guardianus rei diuinæ daret operam, aliquot noſtrum denuo ſacram Euchariſtiam ſumpſerunt, eodem in loco, vbi primò à Redemptore noſtro, in memoriam ſuæ acerbiſsimę paſsionis, hoc auguſtiſsimum myſterium inſtitutum fuit, eodem etiam die ſinguli res ſuas in craſtinam profectionem compoſuerunt.

Itaq; 7. idus Sep. orto iam ſole Hieroſolymis diſceſsimus, apud Heliæ templum ientaculo raptim ſumpto. Sub cœnam Ramam venimus, 6. idus Sep. ibidem, quantumuis inuiti manſimus, quod ſatis iniquè à Baſſano hoc detineremur, quo plus (abitũ noſtrũ impediendo & retardando) pecuniarum à nobis contra iuſtitiæ & conſuetudinis leges extorqueret. Quapropter Guardianus montis Syon, cum ob hæc & ſimilia peregrinorũ graua-

mina moleſtiaſq́, quę in dies augebã-
tur, tum ob priuata religionis ſuæ ne-
gotia, quo tutius illic ſui degere poſ-
ſint, Conſtantinopolim ad Turcarum
principem proficiſci decreuit: ideo ſa-
tis oportunè nobiſcum Cretam vſque
fuit profectus. Nos vero huius reli-
gioſi viri ſocietate, non parum læta-
bamur: erat enim rerum omnium ex-
pertus & peritus, nullumq́ laborem
noſtri cauſa ſubterfugiebat. Sic 5.
idus Septem. Rama diſcedentes Iop-
pen peruenimus, illic quoq́ aliquan-
tulum detenti, nauim tandem vt pran
deremus fuimus ingreſsi. Patronus,
quod merces nondum omnes vendi-
diſſet, in cauſa fuit, quo tardius diſce-
deremus, noctis tamẽ crepuſculo an-
coris leuatis ſoluimus.

Tertio idus Sep. parum admodum
progreſsi ſumus. Pridie idus Septem.
aduerſo vento adeo in dextram par-
tem reiecti fuimus, continentiq́ ſiue
Cæſarea. Galileæ ita vicini facti, vt Cæſaream,
nunc quidem minimè habitatam, fa-
cile

cilè videremus, in qua olim egregius ille & magnus prælatus Cornelius cẽturio à DEO per angelum admonitus fuit, vt Ioppen Simonẽ Petrum quæſitum mitteret, qui ſibi fidem Chriſtianam eſſet declaraturus. Acto. Apoſt. 10. cap. & ſequenti.

Idibus Septem. eodem vento magis adhuc reijciebamur: cæterum circa veſperum omni vento ita deſtituti fuimus, vt nautæ aquam Iordanis à peregrinis illatam eſſe exiſtimarent: quare ſimulabant ſe inueſtigaturos quis in naui aquam habeat: huic enim rei quod minus ſecundo vento vteremur, cauſam attribuebant. Peracta autem cœna Litanias (quas vocant) cantauimus, Deumq; Optimũ maximum, vt ſecundum ventum impartiretur, orauimus: noctu tamen parum admodum proceſsimus. 18. Kalend. Octo. denuo omni vento deſtituebamur, cum nihilominus terra omnis extra aſpectum noſtrum eſſet. 17. Kal. Octob. aduerſo vento hinc inde iacta-

bamur, vt parum aut nihil procederemus. 16. Kal. Octo. aliqui terram viſam exclamabant, quam alij Cyprum, alij vero Syriæ regionem Tripoli viciniam iudicauere, eodem vento aut parum ſecundiore nauigantes. 15. Kal. Octo. ſole occidente inſulam Cypri manifeſte vidimus. 14. Kalend. Octob. quoniam ventus ad dexteram nos præter voluntatem nimis impellebat, cedere compulſi ante veſperam. 3000. paſſ. à Famaguſta anchoris iactis conſedimus. 13. Kalend. Octob. fere vniuerſi cymba in oppidum nauigamus, quamuis pridie patronus cum aliquibus eo profectus fuerit, vbi denuo Nauclerus captus in carcerem coniectus fuit. 12. Kal. Octob. illius cauſa ſtrenue acta, & parte debiti ſoluta, pro cætera vero vadibus datis, ex carcere extractus fuit. 11. Kal. Octob. tertia vigilia noctis, leuantes ancoras Salinas verſus nauigauimus. Itaque 10. Kal. Octob. ſub auroram Salinis ad 2000. paſſ. à portu conſedimus.

Eo

Eo die comeſtæ Meliſanæ allio conditæ, corporis debilitatem pepererũt, quod is fructus ęquo frigidior mihiq́ inſuetus eſſet. Porro quid de allio ſentiendum ſit, Horatius indicat. Cæterũ à prandio 1000. paſ. inſulæ viciniores facti, commodius in portum vicinum nauigauimus. 8. autem Kal. Octo. omnino otioſi dubijq́ de naui oneranda ſale fuimus, quod inter Nauclerum & nauis ſocium minime hac de re conueniret. 7. Kal. Octo. eadem erat controuerſia. Tandem decretum fuit, ſal ob nauis debilitatẽ, itineriſq́ periculum non eſſe ſuſcipiendũ. Itaq; 2. noctis vigilia illinc ſoluentes. 6. Kal. Octo. aduerſo vento nauigantes. 5. Kal. Octo. ſub prandium Nemoſiam oppulimus, *Tumultus Nemoſiæ.* Hic ergo cum vinum cæteraq́ ad comeatum nautæ emerent, ex improuiſo rixæ quædam eos inter & incolas ſunt obortæ, & adeo ſeriæ vt verberibus & ſaxis controuerſia ageretur, & vtrinq; accedentibus ſubſidijs res bellico ferè more coficeretur, illinc

accedentibus militibus equitibusq́;, qui ad inſulæ cuſtodiam defenſionẽque caſu aderant, hinc vniuerſis nautis cum aliquot peregrinis concurrentibus. Tumultus autem ſic excreuit, vt tertio (quod littori admodum vicini eſſemus) maiora tromenta cum minoribus è naui ad terrã ad noſtrorum auxilium deportari debuerint. Tandem ſecunda noctis vigilia, aliquot ab vtraq; parte cùm lapidibus, tum aliјs modis læſis, pax eſt compoſita, noſtrique in nauim redierunt. 4. tandẽ Kal. Octo. tertia vigilia inde ſoluentes, parum admodũ progreſsi ſumus: veſperi tandem in loco, quem angulum album nominabant, deuenimus, illicq; cum ob ventum contrarium, tum ob lignorũ penuriam, quò nautæ ligna cæderent, ancoras iecimus. 3. Kalend. Octob. ſub auroram aduerſo vento ſoluimus, cumq; reјcaremur, pridie Kalen. Octob. 3. vigilia eodem fere loco vnde ſolueramus, ancoras denuo proiecimus, 24. horis

nihil

nihil itineris conficientes, vela tantùm interim cæteraque nauis inſtrumenta rapimus. Kal. Octo. eodem in loco manſimus: aderant pręterea duæ naues Conſtantinopolitanæ, Alexandria redeuntes, quæ tam ob ventum, quam ob maiorem ſecuritatem noſtro gaudebant ſodalitio. Naues itaq; viciſsim cōſcendimus et viſimus, illi noſtram, nos illorum. 6. nonas Octob. tertia vigilia contrario admodū vento ſoluentes, aliquantulum labore & induſtria remigantium promouimus. Cymba enim mari iniecta nautæ alternatim brachiorum niſu aliquid effecerunt. Cæterum poſt meridiem ancoras iacere cogebamur. Hic nauis Dominus & ſcriba cum aliquot è noſtris in terram cymba vecti, in locum ſanè meo iudicio totius Cypri cùm amęniſsimum, tum fertiliſsimum (Conoda nominatum) iuimus, 5000. paſſ. diſtantem, vbi â Cyprio nobili perhumanè lautiſsima cœna oportunoq; hoſpitio ſuſcepti ſumus. Hæc arx ex *Conoda.*

vna parte adiacentem pagū ſatis populoſum diuitemq́ habet, ex altera proſpectū amæniſsimum è colle ſublimiori, tam in mare quam in campum ſaccari bombicis, aliarumq́ rerum feracem. Cæterum ſaccarum (in agris ferè planis, irriguis tamen, ideoque aliquantum accliuis, quo aquam frequentiſsima irrigatione immiſſam paulatim in inferiores agri partes demittant) arundinibus ſiue cannis trium digitorum magnitudine, ferè longitudine hominis ſtaturam excedit. Mirum ſanè quod tam frequentibus internodijs diſtinguantur, ita vt pro magnitudine breuiores multo videantur, pulchra item proportione & copia magna, coloratis hinc inde arundinibus paulatim ideo matureſcunt. Nonis itaq; decembribus tantum quotidie, quantum molendinis ſuis pinſi macerarique, poteſt, metitur. Cæterum menſe Aprili arundines hæ in fruſta ſectæ, medij pedis longitudine ſeminantur, terraq; obruuntur,

Saccari deſcriptio.

Seminatur ſaccarum.

ruuntur, deinde terna repaſtinatione, herbis internaſcentibus, exurgunt, frequenterq́ irrigantur; nam & campo aprico & plurima irrigatione mirè gaudent, vt nobilis ille diligentiſsimè percunctanti retulit: ſingulis etiam ſingulas arundines cũ diſcederemus dono dedit: ijs enim ob nouitatem rei, mirum in modum delectari videbamur. Porro & alia rura vinetaque huic domui adiacent, propter quæ ſingulis annis 8000. ducatorum Venetæ reipublicæ pendit exoluitque cum 3000. ducatorum in expenſas neceſſarias annuatim (quo fructus colatur, horreiſque condatur) propter operas famulorum impendenda ſint. 5. nonas Octobr. iumentis ab eodem datis (quo nullũ officij genus prætermitteret) ſub prandium Paphum vecti fuimus 12000. paſſ. diſtantem, vbi columnæ eximiæ magnitudinis, paſſim ex antiquis ædificijs diſperſæ diſiecteque viſuntur: quæ manifeſto inditio ſunt, olim longè celebriorem *Paphus.*

Phaphum

Paphum quam nunc extitiſſe. Nam quamuis & hodie Epiſcopatus adſit, & pro huius inſulæ qualitate mercicibus aliquantulum floreat, ſemiruta tamen ſingula ferè apparent. 2000. paſſ. hinc in alio quodam pago moratur Capitaneus Venetus, qui huic regioni iura ſolus miniſtrat. Cæterum penes Paphum ad duo ferè ſtadia aliquot gradibus deſcenditur in locum profundum, quaſi quadratum, habentem 7. ſpecus ſubterraneas, quamuis nunc terra ſemiplenæ ſunt aliquæ: in vna iam ſacellum pro Græcis extructum eſt, in alia vero deſcendendo aliquantum, aqua limpidiſsima reperitur. His in ſpeluncis, alij ſeptem dormientes 700. annis dormiuiſſe, alij verò ſeptem Machabæos conditos fuiſſe, ferunt. Præterea reperiuntur hic paſsim frutices, altitudine, ſeſqui hominis, ingentibus ac ferè eiuſdem altitudinis folijs, habentes latitudinem trium pedum, ita vt extenſus quiſpiam facile folio vno cooperia-

Septem dormientium, vel, vt alij 7. Machabæorum locus.

Frutices mirabiles.

cooperiatur. Hæ tertio quoq; anno in ſummitatibus fructus quoſdam certis thecis diſcretos & ſeparatos proferunt, qui ab incolis muſæ nominantur, magnoque in pretio habentur. Sunt qui fructum hunc pomum Adami ob ſui excellentiam vocari autument. Pomum Adami.

CAPVT XIV.

QVARTO nonas Octobris nauim noſtram 4000. paſſ. diſtantem aſcendentes, 2. vigilia ſoluimus contrario admodum vento. 3. nonas Octob. eodem nauigantes tandem ſub prandium proſperior flare cœpit, & tamdiu ventus hic ſecundus durauit, vt pridie nonas Octob. Cyprum amplius non videremus. Verum cum paulo vehementiori vento vteremur, nonnihil timebamus, eo quod iam (Gulphum Sethaliæ) periculoſiſsimus pelagum ingrederemur. Itaq; eo die plurimum itineris Sethalia pelagus.

itineris cõfecimus. Nonis vero Octo. vento nonnihil aduerſo nauigantes ſub cœnam nauim Turcarum conſequuti fuimus, vicinioreſq; facti pugnandum omnino arbitrabamur. Itaque omnia præparabantur & ab vtraque parte ſigna vexillaq; extendebantur. Cęterum nobis tympana ſonantibus, illi nauim verterunt, & noſtram diligentius ex omni parte inſpicientes, ex vno latere tormenta bellica viderunt: quare viribus ſuis diffiſi fuga ſalutem quæſiuere: nos vero iter noſtrum continuauimus. 8. 7. & 6. idus Octob. contrario vento hinc inde iactabamur parum admodum progredientes. Eo die Pincerna ob blaſphemias in media ferè naui conſtitutus, funibuſq; ligatus, iam iam à gubernatore cædendus erat publicè, ni interceſsione Guardiani, à pręſenti ſupplicio liberatus fuiſſet. Cæterum à cœna ventus ſecundior ſpirare cæpit totam per noctem, non tamen ſine impetu terroreque. 4. idus Octob. eodem aliquandiu

In blaſphemũ animaduertitur.

quandiu vento nauigauimus, paulo poſt tamen ad ſiniſtram partẽ nos nimium impellebat. Sub prandium inſulam Scarpentum vidimus, vtcunque habitatam, mox Caſam deſertam inſulam à dextra reliquimus, non multo poſt Cretę oram cernentes (caput Salomonis nautæ vocant) ad dextrã inſulæ plagam eundem erat: cæterum ventus violentior nos in aliam partẽ ita impellebat, vt neceſſario ad ſiniſtrũ littus periculoſiſsime appelleremus: nec terræ temere apropinquandum nobis fuit, ne ſummo & noſtrorũ & nauis periculo ſcopulis illideremur ſicque inter vtrunque (vt aiunt) nauigantes, fundum iniecto plumbo identidẽ quærentes, tandem inuento ancoras ſubito iecimus: ſed neſcio quo fato (quod littus fortè ob vicinos montes abruptum ſaxoſumque eſſet ancoræ non hærentes ſubito retrahendæ erant, nauis ventis committenda, quãuis nautæ alium ventum ſperantes, pro viribus reluctarentur, quod nobis

Scarpentum.
Caſa.
Caput Salomonis.

nobis diſpendio maioriq; periculo fuit, cum citius (nauim ventis exponendo) minoriq; periculo in portum deueniſſemus. Nauigantes itaq; & contrarius ventus & mare ipſum ſæuiens nos hinc inde iactabat, et vt paucis dicam, in extremo periculo conſtituti videbamur: quod vel hinc ſatis liquet, cum aliquot peregrinorum de peccatis confeſſione facta ad mortem ſeſe præparauerint. Nos vero vniuerſi ferè proſtrati iacebamus, miſereque hinc inde iactabamur. 3. idus Octob. circa meridiem aliquantulum conquieuit tempeſtas, cæterum paulo poſt priſtino more ſæuire cæpit, vt æque ac prius imò ferè magis timeremus: quod vel inde colligitur, cum aliqui vota DEO nuncupauerint: iam enim vela vento omnino (inuitis etiam nimiumq; reluctantibus nautis) commiſſa erant, qui nos maximo impetu Alexandriam ferebat: quàre medio ferè in mari maiorem in modũ procellæ commouebantur, quarum

Tempeſtas periculoſa.

Confeſſio de peccatis.

Votorum nuncupatio.

cum

cum vna præter cæteras mira altitudine rectà nauim verſus veniret, à Gubernatoreq́ præuideretur, iſq́ de ſalute actum crederet, præter opinionē tamen nauis mediam ſecans, magnam aquarum vim ab vtraq́ parte recepit, quæ cubantibus moleſtiſsima accidebat. Semper verò nautæ inſomnes, perpetuò infuſam aquā haurire, velis regendis, officioq́ faciendo operā dare. Porro quod ſale nauis onerata non eſſet, haud dubiè ſaluti vniuerſis fuit, cum cōſperſum ſal aqua, in aquā continuo colliqueſcat. Itaq́ pridie idus Octob. ſub diei crepuſculum Gubernator aquam Iordanis, cæteraq́ è locis ſanctis, quæ habebātur, vt proferrentur ſub excommunicationis pœna iuſsit, prolataq́ in mare proiecit. Nos verò ſemper magna violentia venti, vno eoq́ minimo plerunq́ velo ferebamur, cum interim præter vinū, panem, & caſei neſcio quid, in victum noſtrum nil ſupereſſet, quin etiam ipſam iam aquam defeciſſe, aſſeuerabant,

bant. Quare eodem die (qui Sabbati erat) aliqui de nobis carnibus, ob aliarum rerum penuriam, inuiti veſcebantur. Idibus Octo. ventus aliquantulum mitius ſpirare cæpit, quod iam Africæ viciniores eſſemus. 17. Kalen. Nouemb. inter prandendum per horam pluit, cum tribus menſibus, & eo amplius non pluiſſet. Toto igitur itinere ſemel & iterum duntaxat pluit: illis enim in regionibus pluuiæ ſunt rariſsimæ, vt toto anno interdum aut paucæ ſint, aut nullæ. Aues vero aliquot viſæ magno nobis gaudio fuere, exiſtimantibus non multum à continenti nos abeſſe, quam à prandio aliqui è ſummo malo, veſperi omnes facile vidimus. 16. Kalen. Nouem. tertia autem noctis vigilia, ancoras iecimus 10000. paſſ. terræ vicini, ab Alexandria vero plus 26000 paſ. ne littori parum cognito temerè periculoſeq; impelleremur; nimium enim ad dextram ventus nos impulerat: ſtatim verò denuo nauigantes paulatim

In Africa rariſsimæ pluuiæ.

penes

penes littus 6000. paſſ. ab vrbe conſedimus. 15. Kal. Nouem. adhuc magis appropinquantes paulo plus 1000. paſ. denuo ab oppido ancoras ſubmiſimus. A prandio Nauclerus, vno ſibi de peregrinis ſumpto comite, oppidũ acceſsit exploraturus an omnibus ingredi liceret: qua re impetrata, omnes deinceps intrauimus: & quamuis præter voluntatem aduerſo vento huc appulſi eſſemus, nonnihil tamen lętabamur, cum quaſi diuino impulſu factũ interpretaremur, quo commodiſsimè peregrinationem montis Synai (cuius videndi plerique cupidiſsimi eramus) ſatiſque oportune conficeremus. Cæterum hæc Africę pars, quam è naui vidimus, humile mireque planum littus habet, vt non niſi proximis conſpicuũ ſit, quam ob cauſam in altiſsima Alexandriæ turri noctu fax perpetuo accenſa lucet, nautarum in vtilitatem: nam mare adiacens littori minimè profundum eſt.

CAPVT XV.

Alexandria. PORRO id oppidum ſplendidiſſimum fortitiſsimumq́; arte eximia ſanè, portuq́; frequentiſsimo, olim fuit. Diſtat autē 600000. paſſ. à Creta. Enimuero mira ſtructura ab Alexandro magno exædificatū fuit: id quod plurimæ columnæ miræ molis, plateæq́; & patulæ & rectiſsimæ, vna cum cæteris ruinis ſatis demonſtrant. Sed cum aqua dulci omnino careret, infinito ſumptu mirōque ingenio, & arte ſumma, aquęductus ingens (qui nauibus vehendis interdum ſufficit) è Nilo plus 50000. paſſ. inſigni induſtria confectus eſt, qui magnam aquarū vim eò in ciſternas innumeras, excellentiſsimè conſtructas, in vſum oppidi aduehit, eæq́; aquā ſemel receptam in aliquot annos præclarè conſeruant, ob diligentiſsimam earum ſtructuram, quarum paſsim totam per vrbē maxima eſt copia, vt non male plerique exiſtiment

Aquæ ductus inſignis.

Ciſternæ magnificæ.

ment pluris conſtitiſſe huius oppidi id, quod terra cõtegit, quam id, quod eminet, atq; extat, quamuis eximium atq; magnificum. Equidem & in ciſternas ipſe deſcendi, & ſumma cum admiratione vaſtas earum amplitudines, maximos & pulcherrimos parietes, fornicesq;, libentiſsime vidi: quæ tamen ferè omnia, temporum diuturnitate confecta, ſenſim collabuntur. Oppidum porrò ipſum non valde munitum videtur, ob duplicem portum, nouum, ſatis patulum, veterem verò minus fortem, mœniaq; ſemilacera. Cæterum ob mercium copiam, aliquot plateæ miſeris ædificijs refertę, incolarum magnum habent numerum. Adſunt pręterea Veneti & Galli cum alijs, in ædibus eximijs, ſeparatis tamen & proprijs, habitantes, quibus ſinguli ſuæ nationis Conſules tam ipſis mercibus præſunt, quã controuerſijs Chriſtianorũ. Adeſt locus in media platea, lapide molari ſignatus, vbi S. Marcus Euangeliſta capi-

Venetorum & Gallorum Conſules Alexandriæ.

Locus martyrij S. Marci.

te plexus fertur, cum in templò S. Sabæ in ſuggeſtu modò ſemiruto, de diuinis rebus populũ docuiſſet. Epiſcopat. Chriſtianorũ Grecorum eſt precipuus, quamuis & occidentales altare ad celebrandas res diuinas habeãt. Ibidem interea Nauarchum quendam nauis cuiuſdam Maſsilienſis (quam Galeam vocant) noſtro more ſepeliuimus, qui paucis ante diebus ſanus è Gallia eò nauigauerat. Duo habentur præterea aut tria tam Græcorum quam latinorum Chriſtianorum templa. Præter cætera eximia, celebratiſſimus eſt martyrij locus, duabus proceris columnis notatus, vbi ſanctiſsima virgo & ſponſa Chriſti Catharina capite plexa fuit, cum rotæ ſuppliciũ tortores nequicquã preparaſſent: ibidem in angulo aliquantũ prominenti, carcer eiuſdem extat, regijs tum ædibus coniunctus, quæ etiam hodie angulares apparẽt. Eodem in oppido eſt quadratus prope mœnia lapis, miræ altitudinis, latitudinis verò vtrinque plus

Carcer eiuſdem.

Lapis quadratus miræ altitudinis.

plus 7. pedum, more pyramidis in acutum verticem tendens, qui à pleriſq;, ob ſimilitudinem, acus appellatur: is miris incognitiſq; characteribus vndiq; inſcriptus, ab Alexandro Monarcha in ſingularem memoriam erectus exiſtimatur. Horũ feruntur duo fuiſſe, quorũ nunc alter humi ſtratus, cęteras inter ruinas vtcunq; apparet: ibi prope & aliæ ingentes aliquot columnę collapſæ cõſpiciuntur. Situs huius vrbis planus humiliſq; eſt, præter duos monticulos ſiue colles mœnib' incluſos, quorũ vnus omnino nudus, alter in vertice arcē ſeu potius ſpeculã continet: extra oppidum verò omnia plana, marinęq; inundationi obnoxia nonnulla (vt pleraq; huius regionis) ſunt. Cęterũ cum ferè omnes, ſaltẽ Alcairũ proficiſci ꝓpoſuiſſent, pars deficientibus pecunijs ſententiã mutauere, pręſertim quod iter periculoſum ſumptuoſumq; diceretur: alij verò incommoda vtentes valetudine, animo morē gerere ob ęgritudinē nequaquã, *Situs Alexandriæ.*

reperimus (eo enim legumine tota nauis onerata fuerat) nec ea tantum, ſed & aliæ naues eodem venti impetu periere. Quare, qui in portu iam eſſemus, perfacile apertiſsimeque vidimus, quam euidens periculum euaſiſſemus. Hinc in itinere fluuium Elmadiam, marinis vndis plus quàm proprijs nobilem, naui traiecimus, vbi plures Delphinos ad nauim vſq; noſtram ſalientes, vt vel gladio facile attingi potuiſſent, vidimus. Hic piſcis non ſæpe capitur, quod palato non admodum arrideat, interdum tamen captus concrematuſq; in oleum conuertitur, quod denuo comburi ſolet. Sub prandium itaq; Ruſſetum venimus 100000. paſſ. oppidum an pagum rectius dixerim, ignoro: nam etſi mœnibus careat, pro loci tamẽ paruitate, quod populo, mercibus, portuq; celeberrimo, quod amænitate ſitus, omniumq; rerum abundantia, melius crebriuſq; ijs in regionibus eſſet, vix vllum oppidum vidimus, omnia vili

Elmadia fluuius.

Delphinus.

Ruſſetum.

pretio

pretio veniebant, vino tantum excepto, eò quod & è Creta eò vehitur, & rarus illius ſit vſus, nam pauci ſunt ad modum Chriſtiani occidentales, Turcis verò lege ſua vinum eſt interdictum. Hunc locũ Nilus vno oſtio ſatis eximio præterfluens, ſtatim mari immiſcetur: quare quæ in omnes oras proficiſcantur naues, plures tamẽ Alcaira verſus nauigantes facile inuenias: quamuis nos vix vnã nacti (quod feſtinandũ nobis cenſeremus) in tam eximia nauium multitudine. 9. Kalc. Nouem. circa meridiem ſoluentes noctu Fuam venimus plus 30000. paſ. nõ minus celebrem mercibus cæteriſque rebus. Turres quidem numerabamus nouẽ, erant & templa turribus carentia. Nec is locus, quantumuis ędificijs populoq; abundet, muris ſeptus eſt; è regione cuius, Nilus pulcherrimam fertiliſsimamq; inſulam efficit, vt frequentia palmarum ſyluam efficere videatur. Inter nauigandũ vero, ab vtraque ripa ſimiles pagos aliquot vidim⁹.

Turcis vinũ interdictum.

Fua ciuitas.

8. Kal.

8. Kalen. Nouemb. veſperi diſceden-
tes proſpero admodum vento die no-
ctuqꝫ nauigantes, 7. Kal. Nouem. vi-
dimus quendam tranantem Nilum,
veſteſqꝫ ſuas pelle caprina diligenter
incluſas, haſtæque alligatas, omnino
ſiccas ſecum traducere. Eſt autem exi-
Nili deſcri- mius is fluuius quorundam opinio-
ptio. ne, aliquibus in locis, 3000. paſſ. la-
titudine: cæterum nec omnino rapi-
do, nec itèm lento fertur curſu, humi-
libus ſubmiſsiſqꝫ ab vtraqꝫ parte ripis,
vt ſingulis annis inundatione ſolita
facilè, omnē ferè vtrinqꝫ ripam egreſ-
ſus, magnam Ægypti partem irriget,
& fertiliſsimam, omniumqꝫ rerum fe-
racem, tum virentem herboſamqꝫ &
amænam reddat: aliter quidem, ob-
vehementem ſolis ardorem (quum
maximè ſub meridianum ſolem ſub-
iecta ſit regio) omnia torperent exu-
rerenturqꝫ. Hic ſanè vera eſſe compe-
Diuitiæ Ae- rimus, quæ apud omnes Auctores de
gyptiorum. diuitijs leguntur Ægyptijs: à littore
namqꝫ marino Alcairum vſqꝫ, & vltra,
omnia

omnia & plana, & amœna, & populoſa feraciaq; vtrinque, non ſine voluptate, videas: quamuis in altioribus ripæ eiuſdem locis, præter pulcherrimos pagos, aliæ quoq; ſint multæ vili admodū ſtructura caſæ, quæ ab agricolis ferè ſeminudis ſeminigriſq; incoluntur, quorum liberi nudi penitus incedunt. Eſt præterea aliud genus hominum, qui magno, cum liberorum, tum pecudum, iumentorumq; numero, extra oppida, pagoſq;, maiori feritate, ruri, malis nigriſq; in tentorijs habitare conſueuere, à quibus antiquitus oriundos nebulones hos arbitror, qui paſsim totam Europam ferè peragrantes furādo nutriuntur. Cæterum multum hi, manifeſto furto viuentes, ab illis degenerarunt, qui ſuis vel pecudibus vel induſtria arteuè victitent. A ſiniſtra ripa eximium ſaccari molendinum oſtendebatur, nam & huius & omnium ferè rerum ferax hæc regio eſt, ita vt bis aut ter eodem in agro eodemq; anno

fructus

fructus metantur. Radix Colocaſsi hic naſcitur tam eſui humano, quàm medicamentis mirè idonea. Nilus verò menſe Auguſto ad 35. pedes excreſcere ſolet, poſt duos menſes iterum ſeſe priſtinum in ſtatum ſubmittit: ſed quò non ſponte peruenire conſueuit, eò humana induſtria multis eximijſque canalibus alueiſque perducitur in vtramque partem, qui aquæductus & nauigantibus maximè vſui ſunt, cum ob profunditatem etiam maximæ naues tranſmittere ſumma commoditate poſsint. Sunt eo in flumine, præter alias, aues candidæ, eximięque magnitudinis, tam collo quàm roſtro ob longitudinem ſpectabili, mergis non omnino diſsimiles. 6. Kalen. Nouem. iam eminus montes treſque pyramides vidimus. Proſpero itaq; vento noctis crepuſculo Bulacum, celeberrimum emporium, peruenimus: nam etſi muro non cingatur, mirè tamen nauium multitudine, frequenti populo, mercatorum celebritate, pul-

Bulacum, emporium.

chcrrimis

cherrimis aliquot ædificijs Nilum ſpectantibus, arridet, floretq; : nobis verò hac quoque nocte, vt præteritis, (veſtibus indutis) in naui cubandum erat. 5. vero Kalend. Nouemb. interpretem noſtrum, Vincentium, Græcum quidem, ſed communem ferè occidentalium interpretem, quæſitum miſimus, qui veniens ſubitò aſinis cõductis ad Alcairum plus 2000. paſſ. traduxit in domum ſuam, vbi ſatis commodè pro loci regioniſq; conditione morabamur. Nam ingens Alcairi ciuitas à Nilo tantundem itineris diſtat, quamuis idem fluuius exundans annuatim eò pulcherrimo alueo ducatur, vt naues in vrbem maximam, mira commoditate amænitateque immittat: tum vero temporis intra ripas omnino ſeſe contraxerat.

CAPVT

CAPVT XVI.

ENIMVERO vniuerſi nos percupidi eramus incæptam peregrinationem quã citiſsime perficiendi. Quare ſtatim à prandio religioſos Græcos (callogieros vulgo vocant, quæ familia religioſa S. Baſilium auctorem habet, quoniam Græci religioſorum hominum ordinem vnicum habent, cum apud nos innumeri ferè reperiantur) hos, inquam, honoris ergò inuiſimus. Nobis vero, an breui eo aliqui migraturi eſſent quærentibus, reſponderunt, opportunè nos aduenisſe, quod intra ſex aut ſeptem dies ſocietas (quàm ipſi carauanam vocant) haud dubiè diſceſſura videretur. Qua re audita mirè hilares, omnia quę in peregrinatione vſui cenſebantur fore, ſubito coëmimus, cumque Arabibus quantumuis difficilibus tergiuerſantibusq; tandem conuenimus 100. medinis, vt hi qui ciſtas haberent 10. adderent. Eadem de cauſa

Religioſorũ hominum vnicus ordo apud Græcos.

Patriarchę Græcorum.

ſa

ſa Græcorum ſupremum adiuimus Patriarcham, ac admiſsi, humaniterq; ab eodem recepti allocutiq; fuimus: quem vix duobus famulis ſtipatũ tanquam priuatum humi deſidentem inuenimus. Hunc quoq; in eorum templo eadem ferè pompa duplicem Miſſam audientem, honoris gratia in Cathedra ſedentem vidimus: nam ob Mauros Chriſtianos primò græco, deinde Mauro (inter celebranda diuina) vtebantur ſermone. Cæterum monaſterium montis Synai ab eadem religione omnino gubernatur. Porro cum præſcriptus dierum numerus iam elapſus eſſet, longe aliter quã dixerant, euenit: nam nunc ob hanc, nunc ob illam cauſam mirè procraſtinabatur abitus noſter, non abſque maxima moleſtia & temporis pecuniæq; detrimento. Nam quamuis cætera vtcunq; vili pretio veniſent, vinum tamen duplo carius quam Roſſeti vendebatur: nos verò illo aſſueti ægrè eo carere poteramus, quare ma- *Miſſa in Alcairo.*

M gnos

gnos eo loco ſumptus fecimus. Cæterum ne omnino oleum & operam (quod dicitur) perderemus, oppidum Alcairum, ſingulaq; quæ viſu digna videbantur, quanta diligentia potuimus, viſere indegaraq; decreuimus. Huic circumiacenti regioni Baſſanus tanquam Turcæ Vicarius præeſt, qui (ne procreatis liberis ipſe liberiue eius tyrannidem occupent) omnino genitalibus à iuuentute priuatus eſt. Solent enim Chriſtianorum filios tenera adhuc ac flexibili ætate, ſiue bello, ſiue alias interceptos, circumciſoſq; ſtatim ſua ſceleratiſsima lege imbuere inſtituereq;: deinde, pro adoleſcentulorum ingenio atque natura, hos ad arma (quorũ maximus eſt numerus) illos vero ad alia educere enutrireq;. Ex quibus aliqui omnino caſtrantur, quos Magnates in tutelam famulatũque vxorum concubinarumq; vſurpare conſueuere: quorum de numero & is erat: cæterum iam prouectioris ætatis, tam ob hominis compertam fidem,

Baſſa Turcæ Vicarius, qualis.

fidem, quam ob ingenij ſpectatam vafritiem ſapientiamque, hoc pulcherrimo principatu à Turcarum monarcha donatus eſt. Quem nos deambulandi recreandiue cauſa progreſſum, 500. equitibus, 200. peditibus, tormenta portantibus, eximiè ſtipatum vidimus. Is omnem habet poteſtatem, vt ſubito in quorumcumque capita ſæuire, vel indicta cauſa, liceat, ſi dixerit Imperato. ſui eam eſſe voluntatẽ. Hęc enim generalis communiſque plectendorum morte ſententia eſt: quæ conſuetudo à Romanis deriuari videtur, quum Dictatori eadem eſſet poteſtas. Cæterum, ſi auctoritate ſua abutitur, idque Turcæ ad aures peruenerit, is ſubita diligentique indagatione habita, ſi hunc erraſſe comperit, in ipſum ad libitũ aduertere ſæuireque poteſt, eumque & officio & vita pro animi ſententia priuare. In reliquo verò forma legum ſuarũ vtuntur, vt vtraque parte audita (more ferè communi) demum à iudice lis ciuilis dirimatur finiaturque. *Baſſæ poteſtas.*

Perluſtrando ergo oppido, cùm omnium longè maximo, tum, abſq; controuerſia, populi frequentia & hodie celeberrimo, tunc operam dedimus. Quamuis nunc nonnihil populo, ſed plus diuitijs (quibus olim maximè floruit) declinare videtur. Singulis verò annis auri ſignati mirũ numerum in tributum Conſtantinopolim mittit: quod tantum eſt, vt muli quindecim eo vix ſint ferendo. Quæ pecunia cũ innumeris alijs, Suldani temporibus, ibidem magno patriæ commodo impendebatur. Cæterum is terra mariq; ab Imperatore Turcarũ victus captuſque, tandem laqueo ſuſpenſus in celeberrimo oppidi loco, intra duas turres, miſerrimè, non abſq; victoris crudelitate, vitam finiuit, Anno à Chriſto nato 1516. Sic & is quantumuis potens diueſq; Princeps, ignominioſa morte ſatis admonuit, neminem ante obitum vere beatum dici poſſe. Locum quoq; eadem in vrbe inuiſimus, in quo præter diuerſas merces,

Tributum Alcairi.

Suldani funeſtus exitus.

homines, maxime verò iuuenes Mauri, pecudũ more veneunt. Inter eundum interpres noſter oſtendit hominem ſeminigrum, macilentumque, quem aſſeuerabat in bonis proprijs 500000. ducatos habuiſſe: ſed (vt moris eſt) vniuerſis bonis iniquè &, vt plerique autumant, præter meritum à Biſantino Monarcha priuatum eſſe, quo facto homo tam ſenſu ratione**q**; quam diuitijs ſe priuatum carereq; oſtendit. Porro Alcairi præter ingentem ac fere incredibilem hominũ numerum, magnam vim camelorum equorum, mulorum, aſinorumq; paſſim per plateas cerneres, vt tam frequentia populi, quam iumentorum multitudo ſæpiſsimè impedimento ſint vrbem perambulanti. Camelis enim omnis quaſi aqua à Nilo in ciuitatem infertur, equis autem mulisq; ſanè eximijs, magnates ob ciuitatis magnitudinem hinc inde deferri ſolent: plebs verò, cæteraq; onera aſinis. Cæterum hic omnia pondere vene- *Iumentorum multitudo Alcairi.*

unt, vt & lignum ponderari ſoleat, cuius mira eſt penuria caritaſque. Et quamuis innumerorum templorum aliarumque ædium eximia adſit ſtructura, maior tamen oppidi pars maligno ſatis caducoq; ædificio conſtructa videtur, vt etiam nullis continuis mœnibus cingatur: ſed hinc inde, cũ medio in oppido, tum alibi, ob maiorem incurſum euitandum, portę clauduntur. Nam Arabes prædando inuadendoq; aliquando, vt ruinæ quædã indicant, ob vicinitatem nonnihil prę teritis temporibus vaſtauerunt: nunc verò quamuis non admodum ament, Turcam tamen vt longe potentiorem verentur, quod prouerbio dici ſolet, oderint, dum metuant. Hic omnia eſculenta ferè cocta ſatiſq; lautè præparata inuenias, vt etiam agni integri aſſati apud caupones reperiantur: ſed ob lignorum inopiam pleraque ſemicocta apparent. Porro ex vuis ſiccis aqua decoctis, alijſque mixturis, vini genus admodum dulce efficiunt, quã-

Aedificia & munitiones Alcairi.

Potus Turcarum.

uis

uis clandeſtine mire vino delectentur, eoq; citius inebrientur, quod merum creticum inſueti bibant: nam ibi ne vitem quidem vllam vidimus, nedum vinum Ægyptium. Templorum verò, camelorum, Chriſtianorumq;, qui Chriſti fidem abnegarunt, & ſimiliũ rerum, multi dum itinera perſcribunt ſua, numerum quoque ſolent ponere, quod mihi non probatur, cum certum pro incerto haud dubie aſſerant. Eſt autẽ templis mire refertum hoc oppidum, & cum campanis minime vtantur, campanilibus tamen, quę vocant, ſimillimas turres, miræ altitudinis habent quamplurimas, muſceis coniunctas, aliquot ambitus ſiue circuitus habentes, in quos aliquoties eorũ æditui ſingulis diebus, deſignatis horis, aſcẽdunt, tam eorũ ſacra quã horas alta voce populo indicantes: eo enim clamore, horologiorũ inſtar, vtuntur, cũ his alias penitus careant. Media vero nocte aſcendẽtes populũ augendum indicãt, vt eo creſcente fides quoq; eorũ

Campanarũ apud Turcas non eſt vſus.

multiplicetur. Eſt prętereà conſuetudo, vt ducentes vxores, eas à parentibus earum veluti emant, quas deinceps repudiare, ac cęteris vendere pro arbitrio licet: vxoreſq́ꝫ, nec non concubinas, quilibet pro facultate voluntateq́ꝫ habere poteſt. Hi diem Veneris, vt nos Dominicam, honorant, ita tamen vt nec à mercibus, nec ab operibus omnino abſtineant, atq́ꝫ adeo in Paſchali eorum die apertis officinis merces vendant. Literis præterea hebraicis, linguaq́ꝫ eorum multum degenere vtuntur. Nulli adhuc Calchographi adſunt: itaq́ꝫ fidei noſtræ ſchiſma hinc procedere autumant. Cæterum quod maior horum eſt numerus, qui Chriſtianis parentibus nati baptizatiq́ꝫ, à ſalutifera fide declinantes, pernicioſam ſequũtur, cauſam huius rei accipe: nam præter hos qui ſponte ſe offerunt, eoſq́ꝫ quos in bellis captos CHRISTVM, vitę periculo, quodammodo negare deſerereq́ꝫ cogunt, innumeros Chriſticolas, ſub Turcæ im-

Vxores ducẽdi ratio.

Dies veneris apud eos ſolennis.

Quare tot baptizati Turcicis ritibus viuant.

perio

perio diuerſis in regionibus morantes, ſuis filijs pro arbitrio priuare conſueuere: quos tenera adhuc ætate circumciſos, ex animi ſententia educantes, & ad arma & in fide impia pro libitu inſtituunt, vt hi deinceps acerrimi eorum propugnatores, Chriſtianorumque perſecutores oſoreſque ſint. Inter expectandum, vrbem 6000. paſ. inter ſeptentrionē orientemque egreſſi, balſamū vbi creſcit, deuenimus. Ibi *Balſami hortus.* fontem in quo virgo Deipara dilectiſſimi filij lintea (quum ab Herodis furore in Ægyptū profugiſſet) lauit, vidimus: quo balſami hortus irrigatus, ſaluberrimum odoriferumque liquorē profert, qui olim à Iudea translatus, ibi tantum, huius fontis miro beneficio, procreari aſſeritur: quamuis adſit puteus qui adiutrices aquas ſuppetat, quod ille ſolus irrigationi non ſufficiat. Ad dextrā adiacet tabulatum, in quo matrem Ioſephumque cum ſalutifero filio morari ſolitos credimus: eſt ibi armarium, in quo IESVS condeba-

tur. Ad ſtadiũ ferè hinc in horto quodam ficum concauam diſpartitamque oſtenderunt, in qua matrem filiumq; Ieſum, quando ad necem cõquirebatur puer, abſconditos affirmant. Balſami vero hortum tum videre minime licuit. Huc vſq; ferè Nilus inundare conſueuit: hoc autem dinoſcere facillimum eſt, cum irrigata regio virore ſmaragdino mire arrideat, intuentẽque delectet: reliquus ager ſolis immodico æſtu colore albo ſabuloſus omnino torpet exuriturq;. Habet Alcairum (quod à multis non immerito Babilonia dicitur, cui ſententiæ equidẽ libenter ſubſcribo, quamuis diuerſi diuerſè diſtinguant) ab ortu verſus meridiẽ montes vicinos mænibus, alias vndiq; omnia plana ſunt, quamuis ab occidente trans fluuium Nili eminus montes appareant. Porro cum optata abitus dies iam inſtaret, ſinguli comparato menſtruo comeatu, in peregrinationem cum difficillimam, tum periculoſiſsimam nos præparare cæpimus.

Alcairi ſitum.

cæpimus. Cæterum pro introitu 25. medini, pro exitu vero 2. coron. tributi cauſa, ſingulis exoluendi erant. Sic cũ ſinguli comites præſto eſſent, quorũ quingenti ferè, totidem aut pluribus cum camelis, erant, præter aſinos aliquot, & magnates milites, militumq́; duces, qui equis vehebantur. Cæterũ noſtro itineri cęteris iumentis cameli longe commodiores aptioreſq́; ſunt, quod laboris, inediæ & præcipue ſitis mire patiens ſit hoc animal. Nam & fere trina equorũ onera facile ferunt ſinguli, et paſcuis aſperrimis fruticoſiſq́;, aut modica faba veſcuntur, deniq́; triduo omni potu facile carere poſſunt. Præterea hæ beluæ tametſi altiſsimis pedibus tibijſq́;, exili, longo incuruoque collo, ac paruo, ſed truciori capite, miroque clamore, feroces ignaris primo aſpectu videantur, præter opinionem tamen videres manſuetas obſequenteſq́;, quę ad arbitriũ vocemq́; dominorũ in genua atq́; adeo in ventrem ſeſe demittunt, & pronæ humo

Camelorum deſcriptio.

incubantes,

incubantes, commodiſsimè onerari exonerarique conſueuere, ac obiecta pabula ſumere dormireq́;.

CAPVT XVII.

CVM ergo iam nouilunium eſſet (ad lunam enim non tantū profectiones, ſed & negotia omnia diſponunt) 6. idus Nouemb. veſperi ad 4000. fere paſſ. oppidum egreſsi, ſub dio inter camelos veſtibus noſtris induti pernoctauimus: quod quidem & hic & toto itinere faciendum erat, magno noſtro incommodo, cum meridiano ſole quidem vreremur, noctu vero ob ventos, maxime autem Boream algeremus. In itinere quidem, præter Sueſſonem, mari rubro adiacentem, & à via noſtra ſeiunctam, vix tres caſulas vidimus, nedum vlla diuerſoria, adeo re & nomine hæc regio vere Arabia deſerta nuncupatur, cum præter montes fruticeſque, quibus tam paſcuorum loco, quam

Sues oppidū.

Arabia deſerta.

quam lignorum vtuntur, (exceptis pauculis arbuſtulis) nil niſi ſaxoſas arenoſaſque aliquas valles planicieſque inuenias, quæ tamen ſi irrigari poſſent, fructum meliorem nequaquã negarent, ſed aquæ maxima penuria eſt. Ceterum ſterili regioni huic feram admodum miſerrimamq; Deus addidit gentem, vt quæ montium ſpeluncas ſeminuda ac ferè nigra, ferarum more incolat, prædaq; aut certe miſerrimo victu victitet, nec ob ſterilitatem terræ agros valde colat, quamuis laboris patientiſsima videatur. Horum hominum magna pars camelis ſuis res alienas vehentes aluntur: cæterum plus 60000. paſſ. circa monaſterium S. Catharinæ vndique degentes, eiuſdem vaſalli ſunt (nam & idem territorium eius ditionis eſt) ita tamen vt maius ab his detrimentum quam emolumentum ſentiant cænobitæ, quod parum admodum illis inſeruiant vſuiq; ſint, ſed è contra maiori ex parte (mala neſcio qua conſuetudine)

Gens fera & miſera.

tudine) ab ijſdem alendi ſunt, circumiacenteſq; deſides ac otioſi multi cœnobio inhiant, ſatis tamen vili victu contenti. Sunt qui aſſerant 5000. homines à monachis alendos eſſe. Sed ad propoſitum iter redeuntes, 5. idus Nouembris ſub auroram hinc diſcedentes, ad 10000. paſſ. aquandi gratia conſedimus, locus hic Carnetz appellatur. Hucuſq; Nilus inundans, cum denuo ſeſe ſubmittit, ac in ripas ſuas ſubſidet, ob ſubmiſsiorem terram ingens ſtagnum lacu ſimillimum aliquanto temporis relinquere ſolet interuallo. Hic fere vniuerſi congregabamur ad aquam ſatis commode: cum vero aquantes ac nos inuicem exſpectantes deſideremus, 600. ferè camelos oneratos ad Alcairum proficiſci eminus vidimus: nam eorum moris eſt, ob minus tutum iter, ſemper magno proficiſci in ſodalitio (quod carauennam vocant) 4. idus Nouemb. iterum ſub auroram diſcedimus; cum circa 25000. paſſu. confe-

Carnetz.

confeciſſemus, pernoctauimus. 3. Id. Nouembr. hora conſueta diſcedentes, cum 30000. paſſ. aut amplius progreſsi eſſemus, denuò quieuimus. Hactenus via omnino arenoſa eſt: ab vtraque verò parte, montes itidem arenoſi, ſeu potius colles, quos ex arena conflatos, ventorum impulſu nunc huc nunc illuc transferri quidã aſſerunt, ideoque ventis ſæuientibus viatoribus nonnihil periculi inſtare. *Montes arenoſi.* Pridie idus Nouemb. more conſueto diſceſsimus, aſperiore iam via iter facientes, meridie ad fontem ſiue puteum, pulcherrima ſanè ſtructura nuper à Turca conſtructum, peruenimus; muro enim in morem arcis cinctus, canali in tres magnas piſcinas aquam ſemiſalſam, ob vicinum mare ibi conſpicuũ, ac in 19. parua receptacula, maioribus circumiacentia, iumentis in potum opportuna, demittit. *Fons ſiue puteus inſignis.* Cumque bibiſſent iam beluæ, progredientes non longè à mari rubro quieuimus, eminus Sueſſonem cum

paucis

paucis nauibus cernentes. Idibus Nouem. hora conſueta abiuimus, humile maris rubri littus legentes: quod cum ſubmiſsius ſit, à marinis vndis aliquãdo (vt facile apparet) longe lateq; irrigatur tegiturq;. Cæterum quamuis iter noſtrum ad ortum & verſus meridiem aliquantulũ eſſet, nihilominus nunc ad ſiniſtram ob hoc mare, nunc ad dextram ob montes valleſq; eundum erat, vt interdum vix 1000. paſſ. à marinis aquis abeſſemus. Circa me-

Fontes Moyſi. ridiem fontes Moſi, nobis à dextris verſus mare ſitos, preteriuimus, quos ſtatim vt ſummo Dei beneficio mare rubrum cum Iſraëliticis ſicco pede tranſgreſſus erat, ſitientibus, diuina voluntate poteſtateq;, in littore marino excitauit: interim vero Pharao,

Exod. 14. acerrimus eorum perſecutor, eadem via illos inſequens, ipſe cum vniuerſo exercitu miſerrimè ſubmerſus extinguitur. His de fontibus attulerunt aquam optimam quidam: nos vero, vt moris erat, procedentes, ſub ſolis

occaſum

occaſum in itinere pernoctauimus. 18. Kalend. Decemb. idem mare circumeuntes cum conſuetum diei iter confeciſſemus, ſcilicet 25000 paſſ. obdormiuimus. Cæterum ſecunda vigilia tumultus vociferationeſq; inter noſtros ob Arabas aliquot prædones obortæ fuere, & iam ad arma concurrentes, fures vi depulſuri erant; ni alias viribus ſuis diffiſi illi, fuga ſalutem quæſiiſſent. Cum itaq; tumultus ex interuallo iterarctur, noſtri in ordinem redacti armatiq; (plurimi enim milites nobiſcum erant) vniuerſos nos circumeuntes nulloſq; hoſtes reperientes, arctiorem tamen ea nocte cuſtodiam vigiliamq; habuere. 17. Kalend. Decemb. tardius aliquanto ſolito ſurgentes ſub meridiem à mari iam digreſsi ad vallem multis fontibus, arbuſculis, paſcuiſq; ſanè pro regione excellentiſsimam, deuenimus, quamuis ſtrictior anguſtiorq;, veluti fluuij alicuius alueus appareat, ab itinere ad dextram vergens. Hos fontes

ſeu potius puteos, olim amara ſcatentes aqua, Moyſes cum hac iter faceret in commodiorem hominum vſum conuertit, immutauitque: ſalſos enim eorum latices dulciſsimis cõmutauit. Cum igitur hic aquãdi gratia aliquantum manſiſſemus (nam edendi cauſa nunquam morabamur ne minutum quidem) denuo receſsimus: nec admodum longe hinc ſal pulcherrimum arenoſis in collibus penes viam mirabiliter creſcit, deiectaque arena paulo duriore & quaſi concreta, optimum ſal educitur. Iter ſatis aſperũ montoſumq; habuimus: cumq; pernoctandi gratia iam conſediſſemus, milites comiteſq; ſtatim diſceſſuri 15. medinos, tributi ſeu vectigalis prætextu, à nobis vi extorſere: cæterum ex pacto coram notario Alcairi litteris etiam mandato & has pecunias & cæteras omnes angarias vectores noſtri Arabes pro nobis exoluere tenebantur, tam eundo quam redeundo, quibus renuentibus, ſtatim

Exod. 15.

Sal in arenoſis locis creſcens.

tim

tim ſubodorari potuimus, quod poſtea contigit. 16. Kal. Decem. maturius diſcedentes, quòd Turci milites vniuerſi ad dextram ſecederent, arcem ſiue turrim penes mare rubrũ (quo Portugaliæ regis maritimis incurſionibus facilius reſiſterent) ſumma induſtria feſtinationeq́, non abſque periculo laboreque ædificaturi. Ab hoc enim Principe illis regionibus nonnihil damni detrimentiq́ imminet, quòd is in mari Chriſtianorum Principum longe potentiſsimus per Africum oceanum, Indiam verſus cæteraſq́ ſuas inſulas, nauigans, facilem admodũ maris rubri habeat ingreſſum. Quapropter tum temporis claſſem ingentem Turcæ præparabant: quã in militiam & noſtri comites properabant, & diuerſa armamenta, ligna, aſſeres, tabulę camelis impoſita in arcis ſtructuram deferebantur: ſicq́ ſoli peregrini 29. (13. enim Græci aderant) ductoreſq́ noſtri remanſimus: qui nunc per anguſtas nũc largas valles iter facientes, *Turris contra Luſitanos.*

ſub ſolis occaſum ad aquã fortè 2 500. paſſ. diſtantem in valle conſedimus.
15. Kal. Decemb. tardius diſcedentes valles largas, paſcuaq; pro regione ſatis vbera, tranſeuntes, eo die montem Synai S. Catharinę nobis oſtẽderunt.
14. Kal. Decemb. citiſsime ſurgentes per valles ſatis pulchras fruticibuſq; refertas progredientes maturius ſolito conquieuimus, nõ admodum longe ab aqua (maxime enim iter facientibus fontes obſeruandi ſunt, quos biduo & aliquando triduo vix aſſequi viatores poſſunt) Ea nocte ignes grandiores ex fruticibus confecimus, cum plerunq; lignis fruticibuſq; in vniuerſum deficientibus è camelorum collectis ſtercoribus focum Arabes fouerent, illiſq; inijcientes iam confectam è farina & aqua paſtam, panes noſtris etiam delicatiores decoquerent conficerentq;, eo tamen cibo, & ſi quid à nobis illis dabatur, parciſsime frugaliterq; vtentes. Nobis vero ad ignem ſedentibus media ferè nocte Arabs quidam

quidam camelo inſidens aduenit, qui fortaſsis infortunij craſtini cauſa fuit, quod aduentum noſtrum cæteris prędonibus indicaſſet. Nam quamuis is à noſtris ductoribus cognoſceretur, benigniterq; ſuſciperetur, nihilominus tamen illi ſignis oſtenderunt extinguendum eſſe ignem ſubito, ne eminus viſi aliquibus prædæ eſſemus. 13. Kal. Decem. aliquantulum cum diſcederemus, pluebat: nos vero iam hilariores (quod monaſterio vicini omne ferè periculum euaſiſſe arbitraremur) in miſerias maximas incidimus. Nam de improuiſo prædones nos crudeliſſimè non admodum longe à cænobio inuaſerunt. Hi tres è noſtris adorti, ſubito è camelis deſcendere cogentes, vnum verberibus cæſum ſtatim quidem dimiſere, alium verò, cum vi ablatam culcitrã recuperare eoſq; etiam inſequi auſus fuiſſet, aliquanto peius tractauere, cultros pugioneſq; iugulo obijcientes, vt is reluctando vtcunque, vix tandem periculum euaſerit:

nam poſtea comperimus vtrem noſtrum (ex pelle caprina, aquæ vehendæ cauſa, factum, quo hic veluti ſcuto clypeoue in protectionem ſui vtebatur) ab illis nebulonibus aliquoties gladijs perforatũ fuiſſe. Tertium autem longe acerbius immaniuſque accipientes, ſæuiſsime cæſum veſteque ſpoliatum dimiſere, ſeſeque ad alium contulere. Cæterum prior profecto cautior cum duos loculos haberet, alterum auro refertum ſub genu abſcondit, alterum, quod vilem admodum monetam contineret, in ſinu reſeruauit. Vix id confecerat, cum prædones alio relicto nequaquam veſte contenti iterum atrocius hunc inuadunt, iam pugiones cultroſq; acriter intendentes, nunc verberantes & barbam vellicantes, teſticuliſque comprehenſis mire cruciantes, ac demum in aëra ſubleuatum (quod ijs in vicinos montes portare eum volentibus grauior eſſet) atrociter in terram deijciunt, ſubitoque ve-

ſtibus

ſtibus exuere, penituſq; ſpoliare, quo melius inquirere nummos poſſent, proponunt. Cum itaque iam ad induſium ferè exutus eſſet, continuo ſatis prudenter eduxit burſam viliorem, illiſque porrexit obiecitq;. Cæterum latrones ſe iam quod quæſijſſent adeptos opinantes, illum ſeminudum relinquentes nonnihil receſſere, quos noſtrorum ductorum aliqui comitati ſunt, qui quamuis nos aduerſus illos defendere videbantur, & propterea veſtem laceratam quoque ab illis vi ablatam Domino reſtituiſſent, tamen nequaquam omni ſuſpicione carebant, quin ſi maiorem prædam illi nacti fuiſſent, & hi quoque ſpoliorum participes crederentur, adeo nullis penitus fidendum erat. Cæterum cum prædones nummos viliores monetamque incognitam præter opinionem reperiſſent, loculum primo cum aliquot nummis per ductores noſtros reddiderunt, ac deinceps alias pecunias redimendas

eidem præbuere, cauſantes ſeſe id à nobis, neſcio quo tributi iure extorſiſſe. Porro ſi reperiſſent aurum, timendum erat ne & illi nihil reſtituiſſent, & nobis omnibus euidentiſsimum periculum adeundum in reditu fuiſſet, quod omnes nummoſos exiſtimantes, haud dubie vniuerſos omnino expoliaſſent: ſicq́ miſeri timidique iter agentes, cū his reſiſtere, quòd numero facile ac vi ſuperabant, minime conſultum videretur, meridie ad monaſterium peruenimus.

CAPVT XVIII.

Monaſterij S. Catharinæ ſitus.

HVIVS autem ſitus non valde amænus eſt, quod ſtrictiſsima in valle tribus montibus altiſsimis à totidem ferè mundi plagis cingatur: is qui ab ortu, cæteris ſubmiſsior remotiorq́ eſt, ab occaſu verò hortum ſatis amænum habet in valle equo anguſtiore, per quam Alcairum itur, qua & nos accedentes perhumaniter

niter à cœnobitis eorumq; Epiſcopo excipiebamur, eſt enim hoc in loco Epiſcopatus inſtitutus, tametſi vix 10. Monachi Greci, famulitio illorum excepto, morentur: Hi ergo & beſtias onere leuabant, & nobis prandium exhibebant. 12. Kalen. Decem. veſpertinis precibus magnis ceremonijs peractis (quod vigilia Mariæ præſentationis eſſet) potum obſoniaq; in templum adferentes, ſingulis fruſtum panis conſecrati à Primate, cum hauſtu vini optimi ac tribus pomis dedere, quo ieiunantes corpora vtcunque reficerent, nam vini vſus alias rarus admodum eſt. Itaq; 11. Kal. Decem. Epiſcopus pulchro ritu rem diuinam in maiorem D. virginis honorem celebrauit 7. eorũ miniſtrantibus. Eodem die ſub meridiem montem Synai petentes, per aſperrimos altiſſimoſq; montes verſus meridiem aſcendendo, 5000. paſſ. itinere eò peruenimus. Qua in via inuenimus ſacellum beatæ Mariæ virgini dicatum, cum

Epiſcopus ibidem. *Præſentatio virginis Mariæ.* *Sacellum B. Mariæ.*

tertiam ferè itineris partem ſuperaſſemus. Deinde autem, iam medio itinere confecto, ad monaſteriolum, vbi olim religioſi aliquot habitare conſueuerant, venimus: nunc tria ſacella viſuntur, primum S. MARIAE, ſecundum S. Heliſeo, tertium S. Heliæ, dedicata, quorum in poſtremo penes altare exigua ſpecula eſt, in qua idem Helias 40. annis pœnitentiam egiſſe à quibuſdam aſſeritur. Cæterum omnia ſummam vergunt in ruinam, quod & ædes ſacræ & reliquæ habitationes derelictæ à monachis, Arabibus ſint peruiæ. Sed enim in ſummo huius montis Synai vertice Deus optimus maximus Moyſi præceptorum Decalogum in ſalutem noſtram exhibuiſſe creditur: id quod ſacræ quoque teſtantur litteræ. Is locus ſaxum habet ingens atque concauum hodie, quod monſtrabat religioſus noſter comes, in quo ſaxo ſacellum ſatis venuſtum eſt factum: nam primitus cœnobium hoc loco, vt ruinæ indicant,

Sacella SS. Heliſei & Heliæ.

Mons Synai.

Exod. 19.

dicant, ſatis eximium fuit: ſed paulatim ob refrigeſcentem fidem, ac miram aditus difficultatem, à Monachis derelictum, Mauris, Arabibuſque patet, qui duobus in tabulatis quæ videbantur, quandoque dormientes (vt ſtratæ ibidem ſtoreæ demonſtrant) ſacra ſua ſuo more conficiunt. Nos vero omnibus diligenter viſis, græciſque precibus, canticiſque alta voce peractis, fumantibus thuribulis, ardentibuſque luminibus, deceſsimus eadem via aliquantiſper, donec inferius monaſteriolum prætergreſsi, ad ſiniſtram ſemper aſpero itinere deſcendendo pergeremus; & cum tantundem fere itineris (quantum aſcendendo) non minore labore deſcendiſſemus, in vallem longe, quam, nos vidimus, totius regionis amæniſsimam fertiliſſimamque deuenimus: quæ quamuis non admodum ampla, tamen ob aquæ copiam, vites, oliuas, &

cætera

cætera fructuum genera abunde producit, eſt & lignorum copia, rarum quiddam in Arabia hac. Porro omne hoc, cum adiacenti monaſteriolo, Græcorum eſt, vbi in eleganti ſacello cænantes, ſatis commode ad focum proſtrati, quibuſdam in cubiculis ea nocte ſomnum cæpimus. Is locus à 40. ſanctis denominationem habet: aliquando à duobus aut etiam pluribus Monachis inhabitatur. Sunt quoque hic incolarum aliquot tuguriola peſſime fabricata. 10. Kal. Decemb. ſub

Mons S. Catharinæ.

auroram verſus montem D. Catharinæ (quem Oreb appellatum arbitror) pergentes, parũ plani itineris emenſi, ad montem tum aſperrimum aſcenſu, tum communi opinione altiſsimum venientes, illumq́ magno ac prope incredibili labore ſcandentes (quod mirè præceps abruptuſq́ interdum videretur) vix tandem in huius apicem admodum defatigati peruenimus, 6000. paſſ. in aſcenſu habentem. Hoc in vertice, quod cæteros altitudine

excellat

excellat, magna Arabiæ huius pars cernitur, cum mari rubro, quod inter meridiem & occaſum, duorum dierum itinere, hinc abeſt. Cæterum huc corpus D. Catharinæ virginis (Alexandriæ à Tyrannis obtruncatæ) ab angelis mirabiliter diuina voluntate translatum ſubito eſſe, affirmant, anniſq; 365. ibidem inter duos Angelos vtrinq; aſsidentes cuſtoditum, à cœnobita repertum, ac ſubito ſepulturæ mandatum. Porro inter deſcendendum, paulo ad ſiniſtram vergendo, inter maximas petras, velut in valle aquæ adiacente, arborem ſeu verius frutices proceriores ſpinoſoſq; oſtenderunt, in quibus ardentibus ac nequaquam concrematis Dominus in forma ignis Moyſi apparuit, illicq; dixit, calceos exuendos eſſe, quod terra ea ſancta eſſet, &c. Eodem in monte lapides à petris paſsim auelluntur, paſſim in via reperiuntur, arbuſcularum ſpecies formaſque ferentes, quos hoc myſterium continere in perpetuā rei memoriam,

Corpus S. Catharinæ.

Vbi Dominus Moſi in flamma ignis de medio rubi apparuit. Exod. 3.

memoriam, ſunt qui aſſerant, è quibus & peregrini ſecum auferre conſueuere: nos vero cùm maiori moleſtia difficultateq́ iam deſcendiſſemus eodem vnde diſceſſeramus pranſum reuertimus. Quo peracto, per vallem verſus monaſterium ingens proficiſcentes, adq́ dexteram flectentes iter, eò 7000. paſſ. itinere ſub cænam deuenimus. In via non multum progreſsi, ingentem petram inuenimus, in qua plurimos fontes Moyſes iudeis ſitiẽtibus diuina virtute excitaſſe fertur: in ea adhuc extare videntur foramina humidiora è quibus mirandi latices manabant. Deinceps mediũ iam iter emenſi, duo monaſteriola, hortis muris, ſituq́ non admodum inamæna conſpeximus, quod hæc vallis ſcatentes aquas, pulchris alueolis affatim eò demittat, quæ ſtatis temporibus, maxime autẽ æſtiualibus autumnalibuſque (ob fructus ac vites) à religioſis habitantur. 9. Ka. Decem. veſpertinas preces tardius perficientes, iterũ collationem

Petra, quæ à Moſe percuſſa, aquas fudit.

Exod. 17.

lationem ſingulis in templo ſplendidam exhibuere. Cæterum 8. Kal. Decem. Græci S. Catharinæ martyrium celebrare ſolent, cum nos poſtridie, ſcilicet 7. Kal. Dece. idem agamus. Itaq; eo die in fine matutinarũ, propè Diuę ſepulchrum peractarum, S. Catharinæ (aperto ſepulchro marmoreo) reliquias oſtendebant. Nos verò omnibus diligenter viſis, iam abeundi deſiderio tenebamur, prętertim quod nec in monaſterio ſatis tutò morari videremur. Nam cũ 18. medinos vni è vectoribus noſtris, tributi cauſſa pro reditu exhibuiſſemus, ſubito alius ſuperueniens 12. alios, alius verò pecuniam ſine numero petijt: cumq; nos præmoniti renueremus (nam ſic ſingulis petentibus pecuniæ vel noſtris ampliores non ſuppeditaſſent) illi veſtes, lintcamina atque res noſtras vi è cubiculo abſtulerunt, refragantibus verbera minantes. Nos autem attoniti ea cœnobitis conquerebamur, qui rem indignam ſenioribus indican-

Reliquiæ S. Catharinæ.

indicantes, tandem effecere, vt orta inter illos controuerſia manus inter ſeſe conſererent, defendentibus prædones aliquot iuuenibus ſimilis prædæ percupidis. Poſtremo vix ſanior pars vicit vt ablata paulatim reſtituerentur. Sed & monachi non minus nobis diſceſſum abitumque noſtrum optabant, quod impenſas (quas primo ſatis abunde in victum ſuppeditabant, vltimo adeo parce exhiberent, vt ne panem caſeumq; in eſum ſufficientem haberemus) maiores donis eleemoſiniſque noſtris iudicarent. Hanc ſuſpicionem illis auxeramus, quod (præmoniti à monacho) nihil pecuniæ D. Virginis oſſa oſtendentibus illis contribuiſſemus, & tamen pecunias (illis in cuſtodiam datas, dum montes prædictos peteremus) facile viderant. Quare & è veſtibus & è conſuetudine (nam hodie ob maxima pericula, nulli ferè magnates, vt olim, eô peregrinantur) ſatis colligebant, haud magna à nobis lucra expectanda.

da. Itaq; vtriſq; ſatis opportunè aderant duo Turcæ, qui eô peregrinandi cauſa è Raiptho aduenerant (adeſt enim templum Machumettanum, intra cœnobij ſepta, Arabum religioni inſeruiens) & quoniam diutus nobis ibi manendum non iudicarent, facile perſuadebant, vt his comitibus Raipthũ peteremus, aſſerentes illinc citius reuerti Alcairum poſſe.

CAPVT XIX.

ITAque nos quinq; cum vnico Græco (ſextum enim ſocium neceſſario ibi reliquim⁹, quod grauiter hydropiſi laboraret, ventreq; indies creſcente mortis periculũ vix euaderet) aſinis conductis, 8. idus Decemb. comitantibus Turcis (quorum ſodalitio longè tutiores eramus) iter aſperrimum orto iam ſole ingrediebamur: cumq; res noſtras iam aſinis impoſuiſſemus, ac vix oſtium monaſterij prætergreſsi eſſemus, ecce ti-

bi Arabes quidam culcitræ meæ, vt eam nimirum aſportarent, manus admouent, quod ſanè præſtitiſſent, niſi ego id animaduertens vi eam extorſiſſem, curſuque celeri ex eorum conſpectu me ſubduxiſſem. Malum quidem omen, præter omnium ſententiam, ſatis fœliciter euenit: nam quãuis nos expoliandos vel maxime timeremus, tamen difficili itinere per valles aqua copioſas euadentes, aliquos Arabes eorumq; tentoria, vili panno nigroq; tecta, prætergreſsi, noctu in arbuſtis, aſpero in loco, igne accenſo, quieuimus. 7. idus Decem. ante diei crepuſculum diſcedentes aſperiori itinere per valles ſtrictiſsimas ac aſinis hominibuſque vix peruias, nedum camelis, Arabes, qui ſub dio miſerrime degentes iumenta paſcebant, prætereuntes, tandem paulo fertiliores valles, aqua ſcatentes, palmas & vberiora paſcua proferentes, emenſi, montes Arabiæ ſuperauimus, inque planiciem arenoſam ex qua eminus

nus mare rubrum videre erat, tandem deuenimus, ſubque cænam Raiphum pertigimus: vbi ab œconomo Græco (totum enim hoc emporium, longe olim celebrius ob Indicas merces, quas hodie Portugalenſis Rex intercepit, magno huius loci detrimento, Monaſterij S. Catharinæ eſt) vtcunque excepti ſumus. Locus fuit haud ſane præteritis temporibus contemnendus, cũ eò vniuerſa aromata ex India viciniſque regionibus deueherentur, indeque in vniuerſum fere orbem dimitterentur: cæterum nunc, tametſi populoſus ſit, ac magna ex parte à Chriſtianis Græcis inhabitetur, vili tamen admodum ædificio conſtat, mœnibuſque caret, domunculas humiles, terra ſole decocta, malignoque lapide, ac aliquas etiam meris ex ſtoreis paleiſque confectas, habens, vt non immerito à prædonibus ingens ſit periculũ. Nam ante biennium Portugalenſes claſſe huc appellentes, omnia deprædati ſunt: cumque ijdem maiori vi *Raiphum.*

O ij pro-

propediem redituri credantur, quo hoſtis à ſperatis &quaſi conſuetis ſpolijs facilius arceatur, turrim ſiue arcem fortiſsimam, maiorem in cuſtodiam, nunc ibidem duobus ſtadijs diſtantem mariquc contiguam, magno molimine ædificant. Nos vero tardius quàm expedierat eò veneramus: nam ante 7. dies diſceſſerat ea ſocietas, quam nos aſſequuturos illic ſperabamus, ſicque ſeſquimenſem expectare oportere, œconomus aſſeuerabat. Quare neceſſario cubiculo ab eodem conducto, ſatis commodè morabamur. Nam panis prẹter opinionem (quum ibi ob mirum calorem nihil ferè creſcat) mediocri admodum pretio venundatur: omne enim frumentum ex Alcairo eo deportatur, nam ibidem nunquam pluere aliqui aſſeuerabant. Cæterum Dactyli indici vili veneunt: aliarum rerum non adeſt copia, quod is populus parco ac tenui victui ſit aſſuetus. Hic longe plus moleſtiæ à muſcis caloreq́;, quam à frigore,

re, brumali etiam tempore, ſenſimus. Eſt enim ea regio adeo torrida, vt & homines ferè æthiopibus ſint ſimiles, & nullum germen fructumue, paucis tantummodo palmis exceptis, proferat. Cæterum is locus ita mari huic adiacet, vt eodem intumeſcente, vndiq; (paruo iſthmo per quem aditur excepto) marinis vndis circumluatur. Quare ſi lapides maiori numero ſuppeterent, paruo admodũ ſumptu muniri poſſet, quo pyratis reſiſteretur. Itaq; variam hoc genus hominũ è mari alimoniam quęrit, cum piſcando, tum merces aduehendo, paruis admodum debilibuſq; nauibus, quibus velorum loco ſtoreæ ſunt, quas dum conficiunt, ſanguine hircino conſpergunt, confectas vero mari immittentes eadem ſuperſtitione, fùmantibus thuribulis , ſale conſpergere ſolent. Cum ergo pluribus diebus illic iam hæſiſſemus, ac diſcedendi opportunitatem quæreremus, obtulerunt ſeſe quidam, promittentes nos naui Sueſ-

ſonem vecturos: qua re audita iam lætiores effecti, illos ad Græcum cœnobitam deduximus, cum quo is vnicus ibidem noſter interpres, ſingula diligenter componeret, tranſigeretque. Qui cum à vectoribus petijſſet, vt inſtrumento coram iudice confecto ſe obligarent, nos reſque noſtras ſaluas eò deportaturos, ſubito nec tentata quidem re diſceſſere. Quo facto ſatis oſtendere hanc nauigationem nobis periculoſiſsimam futuram, eoſque nos haud dubiè inter nauigandum trucidaturos bonaque deprædaturos fuiſſe. Sic in vniuerſum omni abitus ſpe deſtitutis, aliæ his nouæ calamitates acceſſerũt: nauis enim mercibus onerata huc appellens, afferenſq; claſſem Hiſpanam propediem venturam, timidis alias incolis ita metum auxerat, vt nos quoque magis ſuſpectos haberent, quòd otioſos illic deſidentes, numiſmataq; aurea, victus emendi gratia, moneta commutantes cum vidiſſent, nummoſos iudicarent, aduen-

aduentumq́ hoſtium, veluti eorũ ſpeculatores, præſtolari ſuſpicarentur. Adeo omnia aduerſa periculoſaq́ apparebant, vt conſulente monacho ne prodiremus in publicum, vel intra parietes parũ tuti degeremus. Aqua preterea putrida ac ſemiſalſa mirè afflictis bibenda erat: nam hic ne mentio quidem vini eſt. Porro, tametſi mare hoc rubrũ à ſcriptoribus antiquis nuncupetur, tamen colore guſtuq́ nihil à cætero diſcrepare videtur, niſi quod minus latum (viſu enim facile ſuperatur) fretum potius appareat. Naues autem è longinquis profectionibus redeuntes, tympana (ollis pellibus obductis, quibus etiam ſaltando mire geſtientes vtuntur) ſonare cõſueuere. Quadrageſima vero Turcarum à nouilunio Decẽb. incipiens ad aliud extenditur: quo tẽpore ieiunantes interdiũ nihil comedere, nocte adueniente ſplendidius cænitare commeſſarique conſueuere. Sicq́ 7. idus Ianua. eorum paſcha nobis quoq́ gaudio fuit: nam

Mare rubrũ colore & guſtu nihil à cætero differt.

Quadrageſima Turcarũ.

eodem die turma 2000. Camelorum (vti æſtimabatur) aduentare cœpit, quæ poſtridie vniuerſa paulatim aduenit: ſed (vt fieri aſſolet) & hic extremũ gaudij luctus occupauit. Nam 4. idus Ianuarij 11. biremes è Sueſſone huc aduenientes, ita terrori nobis fuere, vt conſulentibus quibuſdam, aliquandiu in publicum minus prodiremus, ne viſi interceptiꝗ à militibus, in ſeruitutem vi abduceremur, atꝗ adeo intra parietes latitantes parum tuti fuimus. Hæc militum claſsis verſus Indiam interdum nauigans, mare hoc, adiacentemꝗ regionem, & à Portugalenſibus & cæteris pyratis vtcunꝗ defendit.

CAPVT XX.

PRAETER opinionem 17. Kal. Februar. ij quos conduxeramus ſarcinas noſtras camelis ſuis imponentes ad 3000. paſſ. ad fontem vſꝗ deduxere, quos primo (ſuadente

dente œconomo) ſatis libenter ſuſcipiebamus, ſperantes ſic melius omnia, vti pacti eramus, Alcairi obtinere nos poſſe, ac diductis ſingulis expilationibus illis, aut parum aut nihil pecuniarum perſoluturos: ſed prorſus contrarium euenit, ſingula enim nobis ſoluenda erant: nam litem coram iudice hac de re mouere, patriam redire feſtinantibus minimè conueniebat. Iuxta fontem, quem dixi, monaſterium Græcorum in arcis eximiæ modum ędificatum eſt, quod olim dirutum, cœnobitaſque trucidatos ab infidelibus quibuſdam Tyrannis, aſſerunt, cuius lapides in nouæ arcis ſtructuram deferuntur. 16. Kal. Febr. cum conueniſſemus, pranſi diſceſsimus, ac paulo ante biremes, ob neſcio quæ noua allata, vela ventis dantes Indiam verſus nauigarant. Cum itaq; ſic procederemus camelus moriens humi decidit, quo viſo ſubito aliquot Arabes accedentes cultris pugionibuſque carnem hanc diſſecantes in

ſuum eſum præparabant: eo quoque die coruſcationes & tonitrua fuere. Cæterum nobiſcum erat Dux militum quidam, qui aliquot annis indiano exercitui præfuerat. Hic plurimos Eunuchos Æthiopes adoleſcentes ſecum ducebat, quos (à teneris annis cum virilibus membris priuati eſſent) magnatibus amicíſque, in mulierum cuſtodiam, donaturus erat: habebatque prætereа hircum indicum, admiranda ſanè ſpecie: nam capite colloq; nigerrimus erat, reliquo corpore candidus, ita vt maculæ ſubrubidæ huic albori aſpergerentur, cæterum cauda ſuccincta, mirè tamen pingui. Cum ergo ſpacioſam vallem 250000. paſſ. emenſi eſſemus, quieuimus. 15. Kalend. Februar. ad mare deuenientes, littuſque legentes, 30000. paſſ. confectis, ſomno ac quieti nos dedimus. 14. Kal. Febr. quoniã maris littora periculoſa, aſperioraque erant itinera, ſuperatis montibus, viam quæ ad montem Synai ducit,

Eunuchi Aethiopes.

Hircus indicus.

cít ingreſsi, progredientes 35000. paſſ. pulchra quadam in valle aquandi cauſa manſimus. 13. Kalend. Februar. ibidem pranſi ſumus, nobiſcꝗ terni medini militibus exoluendi erant. Eodem die 24000. paſſu. adhuc cōfecimus, & iam montes egreſsi mareque ſub aſpectu habentes conſedimus. 12. Kalend. Februar. media nocte diſceſsimus, ſed hîc ſub auroram cum milites procedere arbitrarer, illóſque, quo tutior eſſem, inſequi conarer, neſcio quo caſu vniuerſos prætergreſſus ſum: præcedebant aliquot Arabes, hos ego, perperam itineris duces ratus, ſequebar: hi diuerſis itineribus ad mare tendebant, quod paſcua vberiora adeſſent. Statim itaque animaduerti me erraſſe, ac periculum magnum quouis modo effugiendum. Sic ergo lentè deferor, & quo illis ſimilior eſſem, in terram deſiliens camelū paſcere permiſi. Cæterum illi me deceptum perſpicientes nunc irridebant, nunc ſpiculis

ſpiculis intentatis mortem comminabantur. Cum ergo iam magis illuceſceret, ſatius viſum eſt hoc à ſodalitio diſcedere, ſubito itaq; camelum aſcendi, ac quantum poſſum cæteros ad ſocios feſtinabam. Sed ecce in hoc peſſimo hominum genere, probus quidam curſu me conſecutus, acclamat eminus, tegmen meum quod inter feſtinandum amiſeram, oſtendens, illud præter opinionem reſtituit. Nos verò procedentes, circa meridiem ad fontes Moyſi deuenimus, quorum quidam numerum ponunt, nempe 12. qui me tamen latent, quòd ſtatim prætereundum nobis erat: è tribus aquam deguſtans, vnum tantum dulciorem reperi, cæteros amaros admodum expertus. Hic plus 200. equites probè armatos, partim etiam cataphractos nos expectantes aliquot diebus, ſuis in tentorijs reperimus: qui ob ingentem Arabum prædonum numerum (quorum 3000. eſſe dicebantur) in maiorem noſtri tutelam à Baſ-

Arabes prædones.

ſino obuiam ex Alcairo miſsi erant.
Hic inter expectandum, quinq; prædones, ſpeculandi gratia à cæteris digreſſos, cum conſpexiſſent, vno fuga elapſo, reliquos intercepere, è quibus ſubito vnum obtruncauere, tres, qui ſupererrant, Alcairi plectẽdos ligatos ſecum traxere. Cæterum nos, qui minimè ad diſceſſum paratos eos animaduertebamus, eſſemusq; abeundi percupidi, deſerere eos ſtatueramus, iterque pro more noſtro agere; ſed 2000. paſ. aut pauló certe amplius vix confeceramus, cum ex itinere reuocamur, ac vi etiam retinemur, ea nimirum cauſa, quod dicerent, minimè conuenire nos, quaſi ipſis inſalutatis, progredi, præſertim cum noſtri cauſa maximè adeſſent. Itaque manendum erat etiam inuitis, quo hi craſtino nobiſcum proficiſcerentur, quamuis 36000. paſſ. iter iam ſuperaſſemus. 11. ergo Kal. Febr. ante medium noctis ferè iter vnà ingreſsi, ſub ſolis ortum prætergreſsi Sueſſonem mareq; rubrum,

rubrum, ad fontem ſalſum venimus, ibique quo beſtiæ potarent conſedimus: ientaculo peracto denuo diſceſſimus, ac cum non minus 6000. paſſ. confeciſſemus, quieuimus. 10. Kalen. Februar. cum tertia noctis vigilia abiremus, itinerisduces, me ignaro (quod obſcura nox eſſet) camelum mutauerant, longeque imbeciliorem altero mihi reliquerant: ſed enim ego huius rei ignarus more ſolito ſecurus vehi videbar, donec ex improuiſo alius camelus (vt ſæpius fieri in tanta beſtiarum frequentia ſolet) maiori impetu eius, cui inſidebam, latus vehementer concuſsit: is quod plus ſatis debilis eſſet, huius violentiæ nequaquam reſiſtere valens, immodicè ceſsit, meque graui periculoſiſſimoque caſu in terram deiecit, ita vt frons primum terram decidendo contingeret: cæterum mihi ſaluti fuit quod arenoſus locus eſſet, nam ſi lapidibus nudum caput impegiſſem, ſummum mortis (ob caſus altitudinem)

nem) periculum erat. Sic & hoc periculum, Deo protegente, quaſi illæſus euaſi. Eo die 50000. paſſ. ſuperatis, Alcairi ſuburbanis magnis in ædibus vniuerſi pernoctauimus : nox enim iam imminens ciuitatem ingredi prohibuit. 9. Kalend. Februa. oppidum cum intraſſemus, ad domum Vincentij interpretis deuenimus, nõ parum hilares atque læti, quod intelligebamus naues Alexandriæ, quæ nobis celeris diſceſſus ſpem afferebant, adeſſe. Itaque feſtinandum vel maxime cenſebamus. Sed iam veris, immo quaſi æſtatis, hac in regione tempus erat: nam & fabas maturas, fœnumque ſecatum, & alia multa æſtatem ſignificantia reperimus. 8. Kalen. Februar. admirandum ſanè apparatum ibi vidimus. Singulis annis eodem ferè tempore, & hinc & vndique ex vniuerſa Turcia Mecham (vbi Machometi ſepulchrum eſſe aſſeritur) magna pompa magnoq; ſatellitum

Vernum tempus Alcairi in Ianuario.

Solennis & magnifica Turcarum ad Machometis ſepulchrum peregrinatio.

litum ſtipati numero ac camelis non minus 15000. adire ſolent. Conſuetudinis autem eſt, vt omnes, qui eò proficiſcuntur, Alcairo iam diſceſſuri, prius opidum perambulent, & quo maximo poſſunt apparatu ſeſe populo ſpectandos exhibeant: quorum numerus quidem incertus, tamē circiter 3000. camelorum æſtimantur: multi præterea equi immixti erant, quibus aliqui equites cataphracti, aliqui verò leuioris armaturæ, miro faſtu ornati vehebantur. Cæterum ipſi peregrini optimo pretioſoq; veſtitu ornati, partim equis, partim camelis inſidebant, ſecumq; ingentem ſatellitem, famulos tam pedites quam camelis inſidentes, tum plurimos camelos ſeſſoribus vacuos, aqua, lignis, pane, veſtibus, ciſtis, cæteroq; commeatu oneratos, ducebant. Præterea his immixti erant quidam (quos ipſi Sanctônes vocant) qui nudis capitibus, ſibi inuicem acclamantes, miris inſuper geſtibus adhibitis, cateruatim ſpumantes

Sancti Machumetanorum.

tes

tes procedebant, diuino hi ſpiritu à populo agi creduntur. Vltimo ferè ſacelli quædam ſpecies, auro cooperta, mireq; ornata, maxima reuerentia vehebatur, quod illi tanquam ſancta ſanctorum religioſiſsimè adorant veneranturq; huius tegmen, cùm manibus, tum pannis lineis eminus iniectis contingebant, capitibuſq; tum demũ imponebant, magnum quid videlicet ſe aſſequutos arbitrantes: nec tibicines, claſsici, tympana, variaq; vexilla huic pulcherrimo deerant cætui. *Turcarum ſuperſtitio.*

CAPVT XXI.

NOs verò 7. Kal. Febru. diſceſſum parabamus, ac veſperi Alcairum egreſsi, Bulaci emporium petiuimus: in itinere autem arbores proceras, nec noſtratibus tilijs diſsimiles, caſsię feraces, atq; adeo ipſas cannas adhuc virides in his dependentes vidimus. Nauem itaq; nacti à Bulaco crepuſculo ſoluimus: ſed *Arbores caſſiæ feraces.*

media nocte vado hæſimus, & cum 8. horis ſic retenti eſſemus, vix tandem 6. Kalend. Februar. ſolutos violentiſſimus ſubito ventus excepit; progredique vetuit. 5. Kalen. Febru. vento parum ſubſidente, nunc nauigantes, nunc ripæ adhærentes, parum admodum profecimus: noctu tamen feliciter cum nauigaſſemus, 4. Kale. Febr. orto ſole Fuam appulimus. quo ex loco veſperi cum ſoluiſſemus, ſecundo vento vſi, 3. Kalend. Februar. ſub auroram Roſſetum peruenimus. Ibi cum litteras quaſdam Conſuli adhuc lecto incumbenti traderem, ab eodem remoratus adeo ſum, vt aſinus conſcendendus mihi fuerit, qui parum progreſſus ſtatim ita viribus defecit, vt pedibus incedere me coëgerit, ac ſocios, meo quidem periculo, relinquere. Itaque ſtatim ad iniquos tributorum exactores deueni, qui longè plus iuſto, quòd ſolus eſſem ac linguæ ignarus, extorſere, ac ne eo quidem

dem

dem contenti, eorum'e numero vnus me inſecutus (non ſine etiam vitæ periculo) adhuc plus exegit. Porrò ego id quod eueniebat ſuſpicatꝰ, iam antea nummos aliquot ſepoſueram, quos cum omnes illi tribuiſſem, crumenam iam inanem oſtendi, demonſtrans, nil pecuniarũ ſupereſſe, quod mihi maximè ſaluti fuiſſe arbitror: nam robuſto admodum corpore erat, ac præter ingentem baculum, quem penes ſe habebat, cultrum quoq; manibus cõtrectans mire mihi appropinquabat: ego verò ne cultello quidem armatus, omnem in DEO ſpem ac raris admodum lapidibus habens, quãtum poteram ſecedebam, ne omnino, improuidum preueniendo, trucidaret. Cæterum is tandem (quòd pecunia vacuum & vel cultello aliquantum armatum iudicaret) me reliquit. Iam verò hoc defuncto diſcrimine, ac plus ſatis defatigato, non abſque ſummo vitæ periculo iter mihi reliquum

quum faciendum erat, hoc præcipuè nomine, quod pagi perplures ac tentoria percurrenda neceſſario forent: ſed ecce medio quaſi itinere cum aſinus (quod illum aſcendere dum vellem, ex conſuetudine humi decidiſſet) & ego pariter laſſus, quieſceremus, Turci quidã, qui noſtra in naui Roſſetum nauigauerant, ex improuiſo ad ueniunt, qui me cognoſcentes, periculumq; ſoli in itinere cubanti dormientiq; demonſtrantes, facile vt me illis coniungerem perſuaſere, aſſerentes ſe ſtatim quieturos ac craſtino maturè profecturos, quibus ego fidem adhibens (cũ homines fide digni viderẽtur) præter vires ferè illos inſequor: ſed hi velocitate vſi ad Alexandrina vſq; mœnia media nocte peruenerũt, inq; ſuburbanis ædibus quieuerunt: ego verò ita laſſus, vt alias nunquàm magna etiam ſiti laborans, inter cœnandũ plus æquo aquę cùm bibiſſem, totamq; noctem vento expoſitus dormiuiſſem, pernicioſiſsimam tuſsim febremq;

bremq; contraxi. Itaq; pridie Kalend. Febr. ſtatim atq; portæ ſunt patefactę, oppidum ſubiuimus, vbi in Gallorũ ædibus, in quibus ſarcinas depoſueramus, commodiſsimè ſanè commoratus fuiſſem, niægritudo me incommodè vexaſſet. Huc accedebat, quod Alexandrinum cœlum ſatis, præſertim laborantibus, incommodum eſſet; quod ego conſiderans, quamprimum rebus compoſitis abire maxime deſiderabam: & nauis Raguſea, Meſſanam, Sicilię vrbem metropolim, petitura, commodiſsime (cum illô nauigare deſiderarem) iam parata, vt nil niſi ventum expectaret, forte aderat. Ideo Kal. Febr. de naulo vt tranſigerem, nauarchum adire volui, à quo animo non ſatis æquo auditus ſum, cùm quod tardius veniſſem, tum quod iam ſoluturus eſſet. Sic ergo (quamuis de pretio nondum prorſus conuenerat) domum propero, venditaq; ſubito arca, ad abitum quàm celerrime me compono, ac, adiuuantibus etiam ſo-

ciјs, ad nauem pergo: ſed ecce cùm ad portum veniſſem, illa iam vela ventis commiſerat, diſceſſeratque. Hic ergo, vt par erat, nonnihil angebar animo, quòd hanc diſcedendi opportunitatem amiſiſſem, ac ob aduerſam valetudinem periculoſè naues cæteræ (Venetias ituræ) expectandæ eſſent. Sed ecce ea nocte ventus mirè his aduerſus oboritur, ac poſtero die Alexandrinum portum repetere coëgit. Qua re audita gaudebam, quòd Deus me cum eadem naui diſcedere velle videretur. Pro naulo itaque duos coronatos ſtatim exolui, ac rebus compoſitis in nauem me confero: in portu tamen ventum aliquot diebus expectauimus: quatuor ſodales alios ibidem reliqui, quod illis Venetias nauigare magis cordi eſſet.

CAPVT XXII.

DEcimoſexto Kalend. Mart. ventum ſecundum nacti ſoluimus, quo & vſi ſemper cum fuiſſemus, 13. Kalend. Mart. aues (quæ vicinam terram ſignificabant) aduolantes conſpeximus: ſed vt Naucl erus Cretam ſe intueri aſſeuerabat, toto tum eo die ac nocte ventus ita inualeſcebat, vt terrori eſſet, crepitante naue, ac marinas aquas recipiente, quarum & ego in ſtratu meo cubans particeps fui. 12. Kalend. Mart. Cretam in conſpectu habuimus, hanc tamen 11. 10. & 9. Kalend. Mart. contingere, nunc in hanc, nunc in illam inſulę partem vento nos impellente, non potuimus. Vt igitur primũ 8. Kalend. Mart. poſt meridiem portum deſertũ admodum nacti ſumus, ancoras iecimus, illicque (ob ventum aduerſum) aliquot diebus hæſimus. Pridie Kalend. Mart. ſole orto *Calimonius portus deſertus.*

diſceſsimus, ſed ventus cõtrarius veſperi eundem portum repetere coëgit. Poſtero die ibidem cùm manſiſſemus, panes, quod his opus habebamus, emere longinquo in pago oportebat. Huic portui nomen erat Calimonio: à quo iterum 6. nonas Martias media nocte ſoluimus, prætemauigantes vtranque Gozi inſulam: inhabitatæ hæ ſunt, ac pecudibus magis quã hominibus frequentatæ. Hac nocte violentiſsimus ventus ingentem metum iniecit, & (vt vocant) fortunam conſciuit periculoſiſsimam: nam quamuis bona eſſet nauis, minor tamẽ & valde mercibus onerata erat, ſicq; parum abfuit, quin iacturam aliquorum onerum facere cogeremur. Cæterum nautis alacriter inſilientes aquas eijcientibus, velaq; contrahentibus, ac cætera munia diligenter obeuntibus, media nocte tria luminaria in cœlo viſa ſtatim omnem metum attonitis excuſſere, quòd ea prodigia, certiſsima futuræ tranquilitatis indicia

Tria luminaria in cœlo viſa nautis fauſta habentur.

cia

cia interpretarentur. Nam poſtea Gubernator aſſeuerabat nunquam naues his ſignis apparentibus perire, ſeque iam quinquies vidiſſe. Nautæ itaque viſis luminibus læti (quidam enim eorum ſe ab vndecim annis noctem periculoſiorẽ non habuiſſe aiebant) ac ſecuri, illis per horam ferè precibus ſuis alta voce acclamant, applauduntque, omnipotenti gratiam qualemcunque referentes. 5. autem nonas Mart. ventus iniquior veſperi Caneam nos cõduxit, iter eſt 160000. paſſ. Ciuitas eſt tam populi frequentia mercibuſq́; quam ſitu, mœnibus, portuq́; inſignis, vt ſecunda Cretæ habeatur, & propediem nouis mœnibus (à Venetis iam miro ædificio inchoatis) perfectis, inexpugnabilis futura ſit. Adeſt Rector, cum duobus illi à conſilijs omnem hanc regionem cum imperio obtinens. Hi in trienniũ à Venetis creati præfecti, in arce ampla, oppido coniuncta, & tormentis, armamentiſq́;, & muro, diligentique *Canea ciuitas.*

cuſtodia munita, moratur: 4000. enim aut plures milites vili ſtipendio 16. coronat. anno adeſſe conſueuere, 100. præterea Albani maiorem in cuſtodiam adſunt. Epiſcopum latinum habent, quamuis & Græca templa minime deſint, ampliora latinis. Templum Cathedrale D. virgini ſacrũ eſt, in quo quotidie concionabatur (quod quadrageſima eſſet) Religioſus quidam, ordinis S. Dominici Theologus, ac totius Græciæ Prouincialis, nomine Nicolaus Cruce Venetus, vir vita ac moribus maximè commendatus, qui me adeo comiter (caſu quodam in eius monaſterium ingreſſum) excepit, ac ſi intimus amicus fuiſſem, exhibens cõuiuia, non tantum ſplendidiſsimo apparatu, ſed & lepidiſsimis ſermonibus animum reficientia. Iudeorum quoq; nõ pauci adſunt, ſuum locum ſepoſitum inhabitantes. Ventũ ergo nacti Nonis Martijs ſub prandium hinc ſoluimus, ſcopulos inſulaſque ignobiles preteruecti. Sic aliquot diebus aduerſo

ſo

ſo plerunq; vento(qui vna nocte pluuia mixtus nautis negotium faceſſebat) nauigantes, inſulaſq; Cirigines à dextris relinquentes, Peloponeſum (nunc vulgo Moreã vocant) vbi Modona & Coron pyratarum ſedes, non ſine periculo cernebamus 4. idus Mar. meridie Zacynthum peruenimus ac plus 2000. paſ. à portu ancoras iecim⁹. Hic cum quidam in pagũ cymba veherentur, & ego commeatus emendi gratia eò vehi deſiderarẽ, Gubernator vetuit, quod illorũ plures, ac nauicula minor eſſet. 3. idus Mart. ſole iam orto denuo hinc ſoluimus, parũ proſpero vento inter has inſulas vſi, nam ſtatim à dextra nobis Cephalonia apparebat, ac nos monebat, vt poſtera die ob pyratarum timorem (cum ventus omnis nos deſtituiſſet, quamuis vtraq; inſula Venetorum imperij eſſet) omnia, quò melius hoſtibus reſiſteremus, præpararemus. Diuerſo itaq; vento ac plerũque contrario vſi, Dominica palmarũ Italiã conſpeximus, ac meridie Crotonem

Inſulæ Cirigines.

Crotonem appellunt. nem appulimus. Inde 6000. paſſ. in vltimis Italię oris duæ columnę adſunt, *Columnæ Pythagoreæ.* quas Pytagoreas appellant, quod illum ibi habitaſſe credatur: cæterum locus is Epiſcopum habet. Ibi Hiſpani duo, nomine Imperatoris, iuri populo dicundo ſunt præpoſiti, quorum prior Prorex, alter Gubernator ab incolis nominatur. Oppidum hoc natura quidem (vt pleraq; Calabriæ) munitum, iuſſu Imperatoris propediem inexpugnabile futurum, cùm magnis ſumptibus, nouis fortiſsimiſq; mœnibus cingatur. In æditiori huius loco arx eſt 50. militibus cuſtodita: nam quod mari iungitur, totius regionis propugnaculum non immerito cenſetur. Calabriæ maritimam oram multi Gręci inhabitant, ſua lingua degenere vtentes.

CAPVT

CAPVT XXIII.

PORRO cum iam continentem attigiſſemus (quamuis longinquo itinere domum redeundum eſſet) multis tamen ſuadentibus malui me terrę quã mari amplius cõmittere, quod huius pericula plus ſatis expertus eſſem. Itaq; rebus compoſitis perendie iter ingreſſus, Locros perueni (hæc regio Sicilia eſt, quod olim inſulæ iungeretur, ſunt tamen qui eam magnã Græciam appellent) *Magna Græcia.* 24000. paſſ. (Epiſcopatus is eſt) à Prępfecto vrbis perbenigne ſuſceptus ſum. Poſtridie iumentum cum emiſſem, paulatim inceſſi, ac Cariatũ (Epiſcopatus eſt) 12000. Colopenzati 12000. paſſ. Ruſſanum (Archiepiſcopatus eſt) 12000. paſſu. Corilianum 8000. paſſ. Terram nouam 12000. paſſ. Caſtrouillarum 16000. paſſ. Caſtelluco 5000. paſſ. Lauria 8000. paſſ. Laco nigro 8000. paſſ. Caſal nouo 8000. paſſ. La Sala 12000. paſſ. La. Polla 8000.

8000.paſ.Lautella 4000.paſ.Lo Scerzo 8000. paſſ. Ieccole 12000. paſſ. pertranſiens (Porro hę vrbes ferè vniuerſæ montium apicibus impoſitæ, & natura, & arcibus, munimentiſq; fortes ſunt, nec pagi huic regioni inſunt, pau-

Salernum. cæq; villæ) Salernum perueni 18000. paſſ. diſtans (Princeps, Archiepiſcopus, vrbi præſunt, ſchola etiam publica adeſt) Ciuitas ſatis ampla eſt, diueſq;, ac nonnihil antiquitatis præſeferens. Inde La Caua 4000. paſſ. Nocera 6000 paſſ. Scafada 4000. paſſ. La torre dell Annunciada pertranſiens 4000. paſſ. La torre del Græco 6000. naui vectus 6. nonas Martij ſecun-

Neapolis. dà vigilia Neapolim peruenimus (Archiepiſcopus Academiaque diſciplinarum adeſt) Ciuitas eſt & amęniſſima ditiſsimaq;, et mercibus nobilitateq; referta. Portum eximium habet, cui turris impoſita, in cuius ſummitate noctu lucerna, in nauigantium cõmoditatem, ardere ſolet. Cæterũ præter eximia cum priuata tum publica ædificia

ædificia tribus arcib⁹ munita eſt, quarum vna monti impoſita, alia & portui et ciuitati adhæret, tertia mari imminet: his omnibus ſui præfecti ſunt. Hic Imperatoris nomine Petrus Toleti Hiſpanus, Regis vices gerit, ſplẽdidiſsimi huius regni gubernacula tenens. Non longe hinc diſtat inſula Capri, & verſus occidentem Iſchia, Præcida, arcibus fortiſsimis munita. Hinc 6. nonas Martij ſcapha vectus (denuo enim me mari ob minus tutũ terreſtre iter commiſi) media nocte Caietam veni, 60000. paſſ. Neapoli diſtantem. Portus eximius, arx fortiſsima, mænia[que] & alta & petris duriſsimis impoſita, ciuitatem hanc inexpugnabilem reddunt, tametſi inſuper 200. Hiſpanis cuſtodiatur: nam Neapolitani regni vrbs fortiſsima hęc à nonnullis cẽſetur (Epiſcopatus inſuper eſt) Intra huius oppidi muros mons eximiæ altitudinis eſt, qui tempore Dominicæ paſsionis, à vertice ad imum vſq; fiſſus creditur, nec res videnti verò diſsimilis

Inſula Capri. Iſchia.

Caieta.

lis apparet. Ibi præfectus Hiſpanus ſummū habet imperium. Cum die vno ibi quieuiſſemus, cōducto equo (nam & compendioſius & tutius terreſtre iter ferebatur) Romam verſus, hęc loca pertranſiens, ſcilicet: Iter 4000. paſ. Fundi 4000. paſ. Terrazin 12000. paſ. Piperna 12000. paſ. Sarmoneta 12000 paſſ Siſterna 8000. paſſ. Alba. 10000. paſſ. Roma 12000. paſ. iter habui, quā 6. idus Aprilis ingreſſus ſum.

CAPVT XXIIII.

Roma.

ALiquot ibi diebus cum animi relaxandi, tum antiquitatum viſendarū gratia morari neceſſe erat. Hic obiter omnib⁹ ferè tam antiquis quam recentioribus ędificijs perluſtratis, quamprimum in patriam redeundum videbatur (quod vndecim menſibus abfuiſſem) quare ſingula curioſius vt inſpicerem haudquaquam temporis patiebatur breuitas. Cæterum etſi perbelle vrbis monumenta

numenta tenerē, temere tamē ea à me perſcriberentur, cū tot tantiq́ꝫ viri fœliciſsime id abſoluerint. Sane & hodiernæ adhuc ruinæ ſatis, quæ Roma fuerit, demonſtrāt. Videres enim admirandam aquæductuum ſtructurā, templorumq́ꝫ, et maxime Pantheonis, præterea reliquias Theatri, arcuum triumphalium, ſtatuarum, cæterorumq́ꝫ monumentorum. Sed & hæc, vt omnia, temporum iniquitate paulatim pereunt corruuntq́ꝫ, quantumuis magnifice conſtructa. Nec deſunt ędificia recentiora tam publica quam priuata magnifice fabricata, præſertim autem Pontificum ędes palatiaq́ꝫ. Pręterea ſanctorum quā plurima oſſa adſunt, qui ab initio Eccleſiæ pro fide Chriſtiana cōſtanter mortē oppetiere, quorū primi Petrus Pauluſq́ꝫ. Sed & Academia omnium diſciplinarum celebris huic principi vrbi minime deeſt. Cæterum Pontifex Max. hinc Bononiam diſceſſerat, Cardinalem Carpenſem vicarium in vrbe relinquens.

Nos vero 13. Kal. Maij meridie Roma exceſsimus, iterque per inſulam 8000. paſſ. Bacanum 7000. paſ. Monteroſo 7000. paſſu. Roſilionem cum haberem 7000. paſſ. Viterbum peruenimus 10000. paſſ. Hic corpus S. Roſæ integrum adhuc oſtendebatur à virginibus ſacratis, quarum 50. eo in monaſterio morabantur. Non longe ab oppido Thermæ percelebres abſunt (Epiſcopatus is eſt) Hinc Monteflaſcon 9000. paſſ. Bolſene 6000. paſ. S. Lorenzo 3000. paſſ. Aquependente 5000. paſſ. Pontoſatim 4000. paſſ. La Paglia 8000. paſſ. Recorze 5000. paſſ. La ſcala 4000. paſſ. S. Chierich. 5000. paſſ. Torenere 3000. paſſ. Bonconuent 4000. paſſ. Luſiniana 4000. paſſ. Liſula 4000. paſſ. Senam denique itum eſt, 4000. paſſ. Ciuitas hæc vetuſtiſsima celeberrimaque Archiepiſcopatum cum Academia diuerſarum artium diſciplinarumque habet. Huius incolæ olim potentes, ob ciuilem diſcordiam plures altiſsimas turres ædificaue-

S. Roſæ corpus.

Viterbienſes thermæ.

Sena.

ficauere. Cæterum quamuis hodie de libertate glorientur, Imperatorem tamen dominum agnoſcunt, cuius nomine præfectus Hiſpanus cum 300. hiſpanis militibus vrbi præeſſe videtur. Templum Cathedrale albo nigroq; marmore cõſtructum, pulcherrimis hiſtorijs à ſolo decoratur, vt nefas videatur talia pedibus conculcari: deſuper ſummorum Pontificum effigies imminent pretioſiſsimæ. Ab hoc templo non multum abeſt Xenodochium æque magnificum. Inde caſtellinum 9000. paſſ. S. Caſſanum 13000. paſſ. prætergreſsi, Florentiam 8000. paſſ. deuenimus: & hæc ditiſsima pulcherrimaq; vrbs Archiepiſcopatum habet, cuius templum atque turris, in qua campanæ aſſeruantur, exterius diuerſo marmore conſtructa ſunt. Dux huic vrbi, annuente Imperatore, præeſt, qui & 200. Germanos milites corporis cuſtodes habet: ſed & Imperator ſibi arcem mœnibus adiacentem retinuit, in qua 300. Hiſpani *Florentia.*

inuigilant, quo minus quid ſiniſtrè agatur. Hic 9. Leones & Leopardum vnum cum Vrſo vidimus. Præterea eſt ſacellum S. Ioannis, olim (vt aiunt) Marti dicatum, cuius fores mira arte conſtructæ viſuntur: extra mœnia plurimæ villæ pulcherrimè ædificatę ſunt. Inde Scarparia 15000. paſ. diſtat. Oppidum hoc cum circumiacente regione eo anno à terræmotu miſerrimè quaſſatum fuit, ita vt ſemiruta ſingula appareant. Hinc per Florenzolam 10000. paſ. Diſcargalaſino 10000. paſſ. Bononiam ventum eſt. Hac in ciuitate ſplendidiſsima, à noſtratibus perhumaniter excipiebar, quorū 100. vrbis cuſtodiæ cauſa adſunt. Epiſcopatus eſt, & ſedi Apoſtolicæ (tametſi & hi de libertate glorientur) ſubditi ſunt, cuius nomine Legatus gubernacula gerit: deinde adeſt ſenatus cum bimeſtri Confaloniere (ſic enim ſummum magiſtratum vocant) Porro hic erat Paulus Tertius Pont. Maximus, ingenti ſtipatus ſatellite pompaq; curiali,

Bononia.

riali, quem veſpertinas preces Miſſamque miris ſane cæremonijs faſtuque audientem, ac ex parte cantantem vidimus. Aderat maior Cardinaliũ pars ingenti cum Epiſcoporum numero. Inde profectus, pertranſitis Caſtel frãco 15000. paſſ. Mutina 5000. paſſ. Ruuiera 7000. paſſ. Regio 8000. paſſ. Parma 15000. paſſ. Burgo ſanct. Donino. 15000. Pontenoua 15000. paſſ. Placentia 5000. paſſ. Caſale 8000. paſſ. Laude 12000. paſſ. Marignan 10000. paſ. Mediolano 10000. paſ. Berlaſina 13000. paſſ. Como 12000. paſſ. Gera 4000. paſſu. per lacum deinde Riua 12000. paſſ. Clauenna 8000. paſſ. Camorſin 12000. paſſ. Splugen, monte, 14000. paſſ. Tuſana 12000. paſſ. Curia 10000. paſſ. Ragatem 10000. paſſ. Valaſtat 12000. paſſu. per lacum Veſen 12000. paſſ. Lachen 12000. paſſ. Heremus 7000. paſſ. Art 14000. paſſ. Lucernam 14000. paſſ. totius itineris terminum, perueni.

Typogra-

Crotonem appellant. nem appulimus. Inde 6000. paſſ. in vltimis Italię oris duæ columnę adſunt, *Columnæ Pythagoreæ.* quas Pytagoreas appellant, quod illum ibi habitaſſe credatur: cæterum locus is Epiſcopum habet. Ibi Hiſpani duo, nomine Imperatoris, iuri populo dicundo ſunt præpoſiti, quorum prior Prorex, alter Gubernator ab incolis nominatur. Oppidum hoc natura quidem (vt pleraq; Calabriæ) munitum, iuſſu Imperatoris propediem inexpugnabile futurum, cùm magnis ſumptibus, nouis fortiſsimiſq; mœnibus cingatur. In æditiori huius loco arx eſt 50. militibus cuſtodita: nam quod mari iungitur, totius regionis propugnaculum non immerito cenſetur. Calabriæ maritimam oram multi Gręci inhabitant, ſua lingua degenere vtentes.

CAPVT

CAPVT XXIII.

PORRO cum iam continentem attigiſſemus (quamuis longinquo itinere domum redeundum eſſet) multis tamen ſuadentibus malui me terrę quã mari amplius cõmittere, quod huius pericula plus ſatis expertus eſſem. Itaq; rebus compoſitis perendie iter ingreſſus, Locros perueni (hæc regio Sicilia eſt, quod olim inſulæ iungeretur, ſunt tamen qui eam magnã Græciam appellent) *Magna Græcia.* 24000. paſſ. (Epiſcopatus is eſt) à Prę fecto vrbis perbenigne ſuſceptus ſum. Poſtridie iumentum cum emiſſem, paulatim inceſſi, ac Cariatũ (Epiſcopatus eſt) 12000. Colopenzati 12000. paſſ. Ruſſanum (Archiepiſcopatus eſt) 12000. paſſu. Corilianum 8000. paſſ. Terram nouam 12000. paſſ. Caſtrouillarum 16000. paſſ. Caſtelluco 5000. paſſ. Lauria 8000. paſſ. Laco nigro 8000. paſſ. Caſal nouo 8000. paſſ. La Sala 12000. paſſ. La. Polla

8000.

8000.paſ.Lautella 4000.paſ.Lo Scerzo 8000. paſſ. Ieccole 12000. paſſ. pertranſiens(Porro hę vrbes ferè vniuerſæ montium apicibus impoſitæ,& natura, & arcibus, munimentiſq; fortes ſunt,nec pagi huic regioni inſunt,pau-
Salernum. cæq; villæ)Salernum perueni 18000. paſſ. diſtans (Princeps, Archiepiſcopus, vrbi præſunt, ſchola etiam publica adeſt) Ciuitas ſatis ampla eſt, diueſq;, ac nonnihil antiquitatis præſeferens. Inde La Caua 4000. paſſ. Nocera 6000 paſſ. Scafada 4000.paſſ. La torre dell Annunciada pertranſiens 4000.paſſ. La torre del Graeco 6000. naui vectus 6. nonas Martij ſecun-
Neapolis. dà vigilia Neapolim peruenimus (ArchiepiſcopusAcademiaque diſciplinarum adeſt)Ciuitas eſt & amęniſſima ditiſsimaq;,et mercibusnobilitateq; referta. Portum eximium habet, cui turris impoſita, in cuius ſummitate noctu lucerna, in nauigantium cōmoditatem,ardere ſolet. Cæterū præter eximia cum priuata tum publica

ædificia

ædificia tribus arcib⁹ munita eſt, quarum vna monti impoſita, alia & portui et ciuitati adhæret, tertia mari imminet: his omnibus ſui præfecti ſunt. Hic Imperatoris nomine Petrus Toleti Hiſpanus, Regis vices gerit, ſplẽdidiſsimi huius regni gubernacula tenens. Non longe hinc diſtat inſula Capri, & verſus occidentem Iſchia, Præcida, arcibus fortiſsimis munita. Hinc 6. nonas Martij ſcapha vectus (denuo enim me mari ob minus tutũ terreſtre iter commiſi) media nocte Caietam veni, 60000. paſſ. Neapoli diſtantem. Portus eximius, arx fortiſsima, mæniaq; & alta & petris duriſsimis impoſita, ciuitatem hanc inexpugnabilem reddunt, tametſi inſuper 200. Hiſpanis cuſtodiatur: nam Neapolitani regni vrbs fortiſsima hęc à nonnullis cẽſetur (Epiſcopatus inſuper eſt) Intra huius oppidi muros mons eximiæ altitudinis eſt, qui tempore Dominicæ paſsionis, à vertice ad imum vſq; ſiſſus creditur, nec res videnti verò diſsimilis

Inſula Capri. Iſchia.

Caieta.

lis apparet. Ibi præfectus Hiſpanus ſummũ habet imperium. Cum die vno ibi quieuiſsemus, cõducto equo (nam & compendioſius & tutius terreſtre iter ferebatur) Romam verſus, hęc loca pertranſiens, ſcilicet: Iter 4000. paſ. Fundi 4000. paſ. Terrazin 12000. paſ. Piperna 12000. paſ. Sarmoneta 12000 paſſ. Siſterna 8000. paſſ. Alba. 10000. paſſ. Roma 12000. paſ. iter habui, quã 6. idus Aprilis ingreſſus ſum.

CAPVT XXIIII.

Roma.

ALiquot ibi diebus cum animi relaxandi, tum antiquitatum viſendarũ gratia morari neceſſe erat. Hic obiter omnib⁹ ferè tam antiquis quam recentioribus ędificijs perluſtratis, quamprimum in patriam redeundum videbatur (quod vndecim menſibus abfuiſſem) quare ſingula curioſius vt inſpicerem haudquaquam temporis patiebatur breuitas. Cæterum etſi perbelle vrbis monumenta

numenta tenerẽ, temere tamẽ ea à me perſcriberentur,cũ tot tantiq́ viri fœlicißime id abſoluerint. Sane & hodiernæ adhuc ruinæ ſatis,quæ Roma fuerit, demonſtrãt. Videres enim admirandam aquæductuum ſtructurã, templorumq́,et maxime Pantheonis, præterea reliquias Theatri, arcuum triumphalium, ſtatuarum, cæterorumq́ monumentorum. Sed & hæc, vt omnia, temporum iniquitate paulatim pereunt corruuntq́, quantumuis magnifice conſtructa. Nec deſunt ędificia recentiora tam publica quam priuata magnificè fabricata, præſertim autem Pontificum ędes palatiaq́. Prętereа ſanctorum quã plurima oſſa adſunt,qui ab initio Eccleſiæ pro fide Chriſtiana cõſtanter mortẽ oppetiere, quorũ primi Petrus Pauluſq́. Sed & Academia omnium diſciplinarum celebris huic principi vrbi minime deeſt. Cæterum Pontifex Max. hinc Bononiam diſceſſerat, Cardinalem Carpenſem vicarium in vrbe relinquens:

Nos vero 13. Kal. Maij meridie Roma exceſsimus, iterque per inſulam 8000. paſſ. Bacanum 7000. paſ. Monteroſo 7000. paſſu. Roſilionem cum haberem 7000. paſſ. Viterbum peruenimus 10000. paſſ. Hic corpus S. Roſæ integrum adhuc oſtendebatur à virginibus ſacratis, quarum 50. eo in monaſterio morabantur. Non longe ab oppido Thermæ percelebres abſunt (Epiſcopatus is eſt) Hinc Montefiaſcon 9000. paſſ. Bolſene 6000. paſ. S. Lorenzo 3000. paſſ. Aquependente 5000. paſſ. Pontoſatim 4000. paſſ. La Paglia 8000. paſſ. Recorze 5000. paſſ. La ſcala 4000. paſſ. S. Chierich. 5000. paſſ. Torenere 3000. paſſ. Bonconuent 4000. paſſ. Luſiniana 4000. paſſ. Liſula 4000. paſſ. Senam deniq; itum eſt, 4000. paſſ. Ciuitas hæc vetuſtiſsima celeberrimaq; Archiepiſcopatum cum Academia diuerſarum artium diſciplinarumq; habet. Huius incolæ olim potentes, ob ciuilem diſcordiam plures altiſsimas turres ædificaue-

S. Roſæ corpus.

Viterbienſes thermæ.

Sena.

ficauere. Cæterum quamuis hodie de libertate glorientur, Imperatorem tamen dominum agnoſcunt, cuius nomine præfectus Hiſpanus cum 300. hiſpanis militibus vrbi præeſſe videtur. Templum Cathedrale albo nigroq; marmore cõſtructum, pulcherrimis hiſtorijs à ſolo decoratur, vt nefas videatur talia pedibus conculcari: deſuper ſummorum Pontificum effigies imminent pretioſiſsimæ. Ab hoc templo non multum abeſt Xenodochium æque magnificum. Inde caſtellinum 9000. paſſ. S. Caſſanum 13000. paſſ. prætergreſsi, Florentiam 8000. paſſ. deuenimus: & hæc ditiſsima pulcherrimaq; vrbs Archiepiſcopatum habet, cuius templum atque turris, in qua campanæ aſſeruantur, exterius diuerſo marmore conſtructa ſunt. Dux huic vrbi, annuente Imperatore, præeſt, qui & 200. Germanos milites corporis cuſtodes habet: ſed & Imperator ſibi arcem mœnibus adiacentem retinuit, in qua 300. Hiſpani *Florentia.*

inuigilant, quo minus quid ſiniſtrè agatur. Hic 9. Leones & Leopardum vnum cum Vrſo vidimus. Præterea eſt ſacellum S. Ioannis, olim (vt aiunt) Marti dicatum, cuius fores mira arte conſtructæ viſuntur: extra mœnia plurimæ villæ pulcherrimè ædificatę ſunt. Inde Scarparia 15000. paſ. diſtat. Oppidum hoc cum circumiacente regione eo anno à terræmotu miſerrimè quaſſatum fuit, ita vt ſemiruta ſingula appareant. Hinc per Florenzolam 10000. paſ. Diſcargalaſino 10000.

Bononia. paſſ. Bononiam ventum eſt. Hac in ciuitate ſplendidiſsima, à noſtratibus perhumaniter excipiebar, quorũ 100. vrbis cuſtodiæ cauſa adſunt. Epiſcopatus eſt, & ſedi Apoſtolicæ (tametſi & hi de libertate glorientur) ſubditi ſunt, cuius nomine Legatus gubernacula gerit: deinde adeſt ſenatus cum bimeſtri Confaloniere (ſic enim ſummum magiſtratum vocant) Porro hic erat Paulus Tertius Pont. Maximus, ingenti ſtipatus ſatellite pompaq; curiali,

riali, quem veſpertinas preces Miſſamq; miris ſane cæremonijs faſtuq; audientem, ac ex parte cantantem vidimus. Aderat maior Cardinaliũ pars ingenti cum Epiſcoporum numero. Inde profectus, pertranſitis Caſtel frãco 15000. paſſ. Mutina 5000. paſſ. Ruuiera 7000. paſſ. Regio 8000. paſſ. Parma 15000. paſſ. Burgo ſanct. Donino. 15000. Pontenoua 15000. paſſ. Placentia 5000. paſſ. Caſale 8000. paſſ. Laude 12000. paſſ. Marignan 10000. paſ. Mediolano 10000. paſ. Berlaſina 13000. paſſ. Como 12000. paſſ. Gera 4000. paſſu. per lacum deinde Riua 12000. paſſ. Clauenna 8000. paſſ. Camorſin 12000. paſſ. Splugen, monte, 14000. paſſ. Tuſana 12000. paſſ. Curia 10000. paſſ. Ragatem 10000. paſſ. Valaſtat 12000. paſſu. per lacum Veſen 12000. paſſ. Lachen 12000. paſſ. Heremus 7000. paſſ. Art 14000. paſſ. Lucernam 14000. paſſ. totius itineris terminum, perueni.

Typographus Lectori.

Optaſſemus hunc libellum & emendatiorem & minus inquinatum in manus tuas venire: ſed exemplar manuſcriptum, ex quo eum typis noſtris deſcripſimus, fuit ſanè quàm mendoſum, & pleriſque etiam in locis imperfectum. Dedimus ergo, non quod voluimus, ſed quod hoc tempore potuimus: neque enim in alieno opere plura nobis licere, vel iniuſſu Auctoris præſtanda etiam eſſe, ſumus arbitrati. Tu pro candore tuo & pium ſcriptoris ſtudium, & noſtram hanc qualemcunque opellam boni conſule, erratiſque ignoſce. Vale.